


DURASTANTE
1567









DURASTANTE (Giammatteo)

DURASTANTE (Giammatteo)

Jacob Tuna 1660.

15

76

PROBLEMATA

Iani Matthæi Durastantis, philosophi, & medici Sanctoiustani.

I.

Dæmones an sint, & an morborum sint causæ, pro theologorum, philosophorum, & medicorum sententiis.

II.

An uirium imbecillitati iuncta cacochymia per epicrasim curanda sit.

III.

Et, An rhabarbarum ob lienterian, dysenterian, & astrictionem sit comburendum.



Dominici Bertacchi

Venetijs, ex officina Stellæ, Iordani Ziletti.
M D LXVII.

A. C. A. N.



ILLVSTRISSIMO, ET EXCELLENTISSIMO,

GVIDOVBALDO RVEREO,

Vrbini Duci, Domino clementiſſimo;

Ianus Matthæus Duraſtantes, Philoſopheraſtes, ac Medicus, ſanctoiuſtanus. S. P. D.



MICITIÆ, & inimicitiæ, inter homines cauſſas (Sapientiſsime, & ampliſsime; Princeps) Geniorum, ſimilitudinem, ac diſsimilitudinem, eſſe; diuinus ille opinatus eſt Plato. Cuius opinionis ueritatem ex hoc uelfacilè uenari poſſumus; quòd duorum, nobis incognitorum, hominum; inuicèm, pila, curſu, lucta, armis, alio'ue idgenus inſtrumento, pugnantium; alteri uictoriam, alteri contrarium, abſq; manifeſta alia ratione; euestigiò percupimus. Quodq; magis eſt;

non illos tantùm; quorum, & corpora, & actiones, & opera, & effectus, præsentium conspicimus; uerùm etiam eos; quorum, nullibi unquam gentium à nobis conspectorum, fama ad nos peruenerit; eorundem geniorum impulsu statim, uel amore, uel odio; prosequimur. Etenim horũ alterum in Matthæo gentili; præstantissimo, Philosopho, & Medico, sanctogenesiensi, mecq; ipso; quondam in Agropiceno degentibus; accidit. Nam superioribus annis euenit; ut uir ille, Tollentini tunc Medicus Physicus, mè; contracq; & ego ipsum, non modica locorum intercapedine distantes; amici cuiusdam ore salutaremus; etsi inter nosmet; mutuum unquam nullum, aut officium iam præcessisset, aut colloquium interfuisset. Tandem itaque, proprij, suicq;, genij (ut equidem censeo) cum ingenito meo similitudi-

ne compulsus, ille; epistolam, & sane elegantem, ad mè dedit; philosophica, medicinaliaq́ꝫ, problemata quædam amicè mihi proponens; utq́ꝫ talium pro uirili parte mea sibi nodos soluerem; meipsum obsecrans. Quàmuis autem tantum imbecillis hisce ingenioli mei uiribus impar onus esse dignouissem; non tamen propterea; quin; ab, humanissimo, doctissimoq́ꝫ, requisitus, & uiro, & amico, satis in hoc ei pro posse facerem; destiti; à continuo tamen, & familiaris, & medicæ, rei; negocio præpeditus. Vt proinde; interdiu morborum; qui, plurimi, sæuissimiq́ꝫ, tunc ingruebant, curationi; nocte uerò, propositorum ab eo mihi, nodorum solutioni; non absque magno, santitatis, ac uitæ, meæ dispendio; uacandum fuisset. Eoq́ꝫ tandem peruentum est, ut præsens opus (quantum, qualeq́ꝫ, foret) perc-

gissem. An uerò satis eius uoto fecerim; aliorum quidem (boni famem; ut bonorum, mos, ac munus, est; consulentium) non meum; erit, perpendere, & dijudicare. Cùm autem sit aliquid (ut inquit Cicero) laudari à laudato uiro; planè opus hoc non penitus ineptum esse censendum meo iudicio fuerit; olim quidem ab, optimo, sapïentissimoq;, Daniele Barbaro, patritio ueneto, aquileiensi Patriarcha, patronoq; meo; non solùm perlectum, sed summis (quæ sua fuit humanitas) etiam laudibus elatum. Retulere autem id subindè mihi; primùm quidem, optimus uir, ac præstantissimus Iureconsultus, Pompeius Pacius pisaurensis; demum etiam, sedulus, ac probus, uir; Bernardinus Beltramus santodanielensis; Illustrissimi, Reuerendissimiq;, Ioannis Grimani, Patriarchæ aquileien-

ſis, ille Auditor, hic a ſecretis; amicitia mihi deuinctiſsimi. Cogitanti deinde mihi; cui'nam piecnas haſce, lucubrationes, noctesq; meas, dicare par eſſet; cuius ſplendore, à tenebrionum nebulis, acq; nebulonum tenebris, illæſæ, perluceſcerent; plures, Reuerendiſsimi Præſules, ac Illuſtriſsimi Principes, mihi quidem, & in mentem ſubiere, & ab amicis fuere propoſiti. Ego tamen te unum (Dux optime Maxime) cum; ariſtotelica, & hippocratica, nedum hac mea, lucubratione, digniſsimum; inter omnes mihi ſelegi; tum etiam animo;

Terreni præ te referentem Numinis inſtar.

totis animi uiribus mihimet percolendum conſtitui. In hæc uerò me, ſponte mea iam diu animum inclinantem, primò conſummatum meritum tuum, demũ ſumma generis tui nobilitas, poſtremò & amicorũ hortatio; nul-

lo conduxere negocio. MERITVM quippe tuum; etenim consummata, graeci, latiniq́, idiomatis notitia clarus; militari disciplina clarior; &, mundanarum rerum scientia, cælestiumq́ sapientia, clarissimus; es. GENERIS autem tui Nobilitas; nam & Pontificibus maximis; & genitore strenuissimo, prudentissimoq́, Duce; nobilissimus es. Vt proindè; cùm, melior maiora, & optimus maxima, Philosopho mereatur; illa quidem ob progenitorum prosapiã; hæc ob, propriam, tuamq́ uirtutem; tibi, debeantur, acceptaq́ sint referenda. AMICORVM uerò adhortatio; quoniam Syncerus, ac prudens, uir; Franciscus Agathonius, à secretis tibi apud Senatum Venetum inseruiens; alijq́ plures, antiqua mihimet amicitia deuincti; propositum id genus meũ unanimes adeò comprobauere; ut equo,

uelocissimè currenti, calcaribus utrinq; coadactis; statim opus hoc, ut sub felicissimo tui amplissimi nominis auspicio in lucem prodiret, typis cudendum à mè fuerit exhibitum. Ego quidem (fateor) ab hinc decennium, quo tempore sæuissima pestis ex Histria urbem in hanc grassata fuerat, hic degens; fueram meorum aliquod operum eidem nuncupaturus; Illustri, satisq; nunquam laudato, Ioanne Iacobò Leonardo, Montis Abbatis comite, tuo tunc temporis apud eundem Senatum Oratore, patronoq; meo; adhortante. Verùmtamen; in Picenum, quòd res meæ quorundam impiorum sæuitia malè, mulctarentur, ac uerterent, præter intentum redire coactus; ab incœpto destiti. In summa, quod, tunc impotens nolui; nunc, uolens, potensq;, sum pro, uelle, posseq;, meo exequutus; librum

hunc (quantus , qualisq́ꝫ , ſit) tibi , ſcientia , ſapientiaq́ꝫ , præſtantiſsimo ; nuncupans , & condonans . Spero autem ipſum teipſum , Principem , doctiſsimum , boniq́ꝫ conſulere ſolitum , pro ſumma tua, cum humanitate perlecturum,tum ſcientia percepturum, non munuſculi, quantitatem , aut qualitatem , ſed donantis animum; optimè per pendens . Bene uale , diuq́ꝫ uiue . Venetijs . IIII. nonas maias , Anno M D L X V I I.

MATTHAEVS GENTILIS

SANCTOGENESIENSIS,

TOLLENTINI MEDICVS PHYSICVS,

Iano Matthæo Duraſtanti Philoſopho, & Medico, Sanctoiuſtano. S. P. D.



VM ſæpe multa de te,& Ioannes maria anſuinus, chirurgus, ciuisq́ue, tollentinas; & paſsim alij, probi, doctiq́ue, uiri, ſcitanti mihi retulerint; ac talia profectò, qualia, generoſum Medicum, & hippocratica dignum arte, decent; centies equidem (niſi pudor me prohibuiſſet) meis te rogaſſem literis; ut, ſi per ocium quandoq; tibi liceret (nam; & ob, medicinalia, familiariaq;, negocia, quibus lege teneris; & ob commentarium in Maius Luminare, cui ſanè quàm pacto teneris, tam, die, nocteq;, inuigilas; non admodùm licere autumo) me cum in literis aliqua communicares. Sed uicit me tandem maximum legendarum tuarum deſiderium. Quò circa, timorem, ac modeſtiam, penè omnem, abijciens; meipſum ampliùs continere nequiui, quin has (qualeſcunq́ue ſint) ad te literas darem. Quibus ego te uelim exoratum, ut nodos mihi aliquos, haud procul à medicæ Artis utili-

tate distantes, cùm primùm hoc moliri poteris, explices. Sunt autem hi quatuor. PRIMVS. An, Fernelij, &, præceptoris mei, Argenterij, Dogma de triplici morborum genere in similaribus utique sit partibus recipiendum. SECVNDVS. An (quod idem asseuerat ex uisu Fernelius ipse, & nos in præsentia suspicamur) Dæmone, quos uulgò spiritus uocitant, quandoque sint morborum causæ, quàmuis ægrotationis causam Galeno teste in, Deos, aut Dæmones, nunquam, refuderit Hippocrates. TERTIVS. In curationibus si fortasse mihi interdum contingat, ut ægrotantem præ manibus habeam; qui, tum malo succo refertus sit, tum uires admodùm imbecilles habeat, quidnam mihi foret agendum, abs te itidem percipere cupio. Quòd si quidem tu, Galenum imitatus, curationem id genus per ἐπίκρασιν moliendam esse fortè asserueris; quæso, quo'nam pacto Hippocratis occurrendum erit aphorismo, qui impura corpora nutritione oblædi testatur? NOVISSIMVS. An rhabarbarum; quod quidem ob, lyenterian, dysenterian, & astrictionem, Recentiores passim omnes comburunt; sit pro Galenica methodo comburendum. Nè uerò pluribus te uerbis onerem, finem hisce dans, teipsum obsecro, ut præ cæteris hoc unum tibimet persuadeas, me quidem ob, insignes uirtutes tuas, & singu-

larem humanitatem, ex iam nominati præstantiſsimi Chirurgi, nec non aliorum plurium, relatione mihi compertas; quamobnixè tibi deuinctum fore dum ſpiritus hos reget artus. Bene uale. Tollentini. XII. calendas Februarias. Anno. M D LX.

IANVS MATTHAEVS DVRASTANTES, PHILOSOPHERASTES, AC MEDICVS, Sanctoiuſtanus, Matthæo Gentili Sanctogeneſienſi, Præſtantiſſimo, Philoſopho, & Medico. S.



CCEPI literas tuas, eoq; acceptas equidem animo perlegi, quo à te uiro, optimo, & doctiſsimo, præſeferunt affabrèfactas eſſe. Honeſtiſsimam enim quandam, & tui humanitatem, doctrinamque; & Ioannis Mariæ Anſuini, ciuis tollentinatis, præcellentiſsimi Chyrurgi, compatriſq; mei; cui tu eas ad me dediſti; erga me redolent beneuolentiam. Me enim hunc tibi plurimùm collaudaſſe; nulli profectò, quæ in me, Medicorum minimo, refulgeat; ſed, ingenitæ, conquiſitæq;, eius humanitati, & ingenuitati; referendum acceptum cenſeo laudantem nanq; linguam habere, uirtutis proprium eſſe, uoluit Zeno. Qualiter autem cunq; ſit; illi, qui honeſtiſsimæ huius amicitiæ ſemina ſpontè diffuderit; tibiq;, qui

me diligere non dedignaris; gratias, habeo atque ago; Vosmet

Dum spiritus hos reget artus

(ut par est) philosophicè redamaturus. Sacrum nanque illud Amicitiæ nomen serò quippe (Chæroneo in Platone asserente Philosopho) sumendum est; uerùm, ubi semel assumptum est, spernere haud conuenit, sed omni prorsus ratione tutandum. Sola enim (ut Aristoteles inquit) bonorum sine querela est amicitia. Tibi præterea ἠθικῶς iam congratulor; quòd, eorum, aliorumq; plurium relatu; talis, & uir, & Philosophus, & Medicus; sis. Mihiq; itidem κοσμίως gaudeo; quòd talem amicum, hoc est citrà, uoluptatem, ac utilitatem, honestissimum; fuerim nactus. Ambos uerò; tàm inuicèm alterum alteri congratulari, quàm sibimet quenq; congaudere; operepreciun esse autumo; quòd una gentiles utriq; simus (nam; & tù gentilis mihi gentilis es, & ego itidem sum tibi gentilis) quod genij eiusdem possessores; quodque, eorundem autorum, eiusdemque scientiæ, & artis, sectatores; simus. Perfecta nanq; amicitia (Philosophi etiam testimonio) bonorum uirorum, interq; se uirtute similium; est. Simile enim simili gaudet, paresque cum paribus (ut Cicero inquit) facillimè congregantur. Cùm enim triplex eidem scientia sit, factiua, actiua, theori-

ca; quæ deinde & ipſa triplex eſt, mathematica, naturalis, diuina; mutuo quidem amore plurimùm ſe proſequi ſolent; tum factiui, ut, Teuthras, & Galenus; tum actiui, ueluti, Lælius, ac Scipio; tum mathematici, ſicuti, Architas, & Plato; tum naturales, quemadmodũ, Theophraſtus, atq; Ariſtoteles; tum diuini, quales, Albertus, ac Thomas. Quòd, ſi eiuſdem profeſsionis autores inuicèm ſibi aduerſari interdum accidat; non quidem id ex profeſsionis identitate, ſed ex, finium, uel fines præcedentium, mediorum diuerſitate; euenire, cenſendum eſt. Ob finium nanq; diuerſitatem odio Theſſalum illum proſequutus eſt Galenus; quòd, ille methodicam gloriam, hic dogmaticam rei medicæ ueritatem; ſit inſectatus. Ob fines uerò præcedentium mediorum diuerſitatem in Platonem (ut hic conqueſtus eſt) ſicuti in matrem pulli geniti, recalcitrauit Ariſtoteles. Licèt enim ambo rerum inſectarentur ueritatem (Nam, & ambo contemplatiui fuere, & contemplatiuæ ſcientiæ finis eſt ueritas) ille tamen ideis in diuina, hic uniuerſalibus in humana, mente uigentibus; in talem finem commigrarunt. necnon; ille, rationali animæ facultate in cerebro, irraſcibili in corde, concupiſcibili in iecinore, diſpoſitis; hic, rationali, ſenſitiua, ac motiua, in corde ſimul poſitis; in eundem innixi ſunt finem concurrere. Doleo tamen; non (ut condecens

foret) me omnibus honestissimis tuis quæsitis satis in præsenti a facere posse. Quatuor enim cùm ea sint; non utiq; priori, sed posterioribus, satis pro uirili in præsentia facere possum. Fernelij enim, & Argenterij, opera omnia, in quibus illud à præstantissimis hisce Medicis definitur, à me desiderantur. Cùm nanq; Galeno duplex tantùm morborum genus, sit alterũ in similaribus, quæ primogenia nominat Aristoteles, alterũ in compositis; his uerò triplex esse affirmantibus; inter, Illum, atq; hos, iam lis existat; sanè oporteret me, qui galenicæ iamdiu ueritatis demonstrationem percepi; etiam horum pariter opinionis, & rationes, & iacta fundamenta, prænouisse; ut rectam de his proferre sententiam possem. Nam, ponens inter duos, seu componens, differentiam; debet asserente Philosopho sub propria utrunq: ratione cognoscere. Ab exactioribus uerò ad reliqua responsis utiq; laboriosissima, cùm in maius hoc, quod præ manibus habeo, luminare; tum uel maximè in florentinorum Medicorum Academiæ Antidotarium; commentaria me dextraxere. Proinde me excusatum habe; & hisce (quanta, qualiaq́;, sint) contentus, nestoream ætatem, metellinamq́; felicitatem, uiue. Triacæ. IIII. calend. Aprileis. anno a saluberrimo uirgineo partu, M D L X.

A. C. A. N.

PROBLEMA PRIMVM,

DAEMONES AN SINT,

ET AN MORBORVM SINT CAVSÆ,

tam pro Theologorum ſapientia, quàm pro ſupranaturalium, naturalium, & moralium, Philoſophorum ſcientia, Dogmaticorumque Medicorum opinione.

IANO MATTHAEO DVRAſtante, philoſopheraſte, & medico ſanctoiuſtano auctore.

PROOEMIVM.



OVA, mirabiliaq́; plurima de Dæmonum, eſſentia, affectibus, & effectibus, deq́; alijs nõnullis, in præſentia conſcripturus; equidem te exoratum candide, benigneq́;, lector uelim, ut mentem in me conuertas, omnia, breuiter, diſtinctè, luculenterq́;, pro uirili parte mea conſcripturum. Non enim horum lectionis, uel pænitentia afficieris, uel affectum pænitebit. Siqua uerò, catholicæ noſtræ legi repugnantia, de Dæmonum hîc eſſe deprehendes; ſcito me, qui quidem eius amore martyrum ſubirem; non pro mea, quæ, ſana, firmaq́;, exiſtit; ſed pro,

Peripateticorum ſcientia, Dogmaticorumq́; opinione, ea dicturum; quorum, Ariſtoteles, & Hippocrates, Chriſtianam legem non nouere; Auerroes autem, & Galenus; falſis, ille maumethanis, hic iouialibus, addicti nugis; in noſtram hanc miſerè quondam ſunt miſeri tergiuerſati; in qua nefas deprehendi ſummum eſſet nefas.

DIVISIO.

VT à platonica diuiſione rei huius auſpicemur initium (etenim ſcientiam, uel diuiſione Platoni, uel compoſitione Ariſtoteli, uel demoſtratione Hippocrati; adipiſcimur) pro hypotheſi recipiendum hîc primùm eſt, triplicem Peripateticis eſſe primaria ſui diſtinctione ſcientiam, utiq; contemplatiuam, quam θεωρητικὴν *Græci nominant. Actiuam, quam* ἠθικήν*; Atque factiuam, quam* μηχανικήν. *Contemplatiua deinde; aut popularis, ſeu legalis, exiſtit, quam Theologiam dicimus; aut philoſophica; quam triplicem eſſe affirmamus; ſupra naturalem, quam* μεταφυσικὴν *Græci nuncupant, naturalem, quam* φυσικήν*; & mathematicen, quam* μαθηματικήν. *Quarum omnium finis ueritas eſt iuxtà Philoſophi illud. Speculatiuæ ſcientiæ finis ueritas eſt, operatiuæ autem actio. Actiua autem, ſeu moralis, adhuc & ipſa tri-*

Auer. 1. De *ani.* 5. & *Gal.* 4. De *differ.* p. 7.

Ariſt. 6. *met.* 1. 4. & 8 *topic. pa.* 1. *cap.* 4.

Ariſt. 6. 11. *meta.* 2. 6.

Ariſt. 2. *eiuſdem* 3.

plex, eſt, ἠθική, πολιτική οἰκονομική, ethica, Politica, œconomica; id eſt Moralis, ciuilis, Familiaris (Non enim incõueniens eſt generis interdum nomen ſpeciem ſuſcipere) Factiua uerò, ſiue mechanica, multiplex eſt, medicina, militia, architectura, nauifactiua, agricultura, ac id genus aliæ; quarum omnium; tum nobiliſſima eſt Medicina; tum finis, actio, & opus. De Dæmonibus igitur, an ſint, & an morborum ſint cauſæ, in priori hoc problemate determinaturi; in tot ipſum libros, quot, iam conſcriptæ, ſcientiæ præter mathematicen, ſunt; ordine ſubdiſtinguemus. Quorum, primi inſcriptio erit, Dæmones, an ſint, & an morborum ſint cauſæ, pro Theologorum ſapientia, ſecundi. Dæmones, an ſint, &c. pro ſupranaturalium tertij pro naturalium, quarti pro moralium, philoſophorum, ſcientia. Quinti uerò pro Dogmaticorum Medicorum opinione.

Gal. 2. ad Glauc. 1. & 2. reg. a 46.
Gal. ad bõ. a. o.
Ariſt. 2. metaph. 3.

NARRATIO.
PROBLEMATIS PRIMI.
LIBER PRIMVS.

DAEMONES AN SINT,
Et an morborum sint causæ; pro Theologorum sapientia.



VPLEX (ut ad rem spectat) Theologia est, alia Christiana, alia platonica; quarum; illa, cùm mosaicæ, tùm Christianæ, legi innititur; hæc tum mosaica, tum philosophica, lege, scientiaq́; est suffulta. Vt quicunque Platonis ipsius opera perlegerit; nec quidem ab illa, neque ab hac; penitus seiunctum ipsum autumare queat. Quatenus enim mundum Plato ipse genitum (quod tamen inficiatus est demum Aristoteles) existimauit; antiquiori illi legi se profitetur addictum. Quatenus autem incorruptibilem (cui quidem rei Philosophus annuit) recentiori huic scientiæ innixum semet clarè fatetur. Longum autem esset ancipitia omnia id genus dogmata hîc recensere, quæ paßim ex eius uel facilè operibus eliciuntur. Hinc platonica illa, & Eusebij pamphili, & Marsilij ficini; Theologia. In geminas itaq́; præsen-

tem librum ſectum erit partes. Quarum primæ, Chriſtianis Theologis, an Dæmones ſint, & an morborum ſint cauſæ, erit inſcriptio; Reliquæ uerò, Platonicis an Theologis Demones ſint, & reliqua.

LIBRI PRIMI

CAPVT PRIMVM.

DAEMONES AN SINT, Et an morborum ſint cauſæ, pro Chriſtianorum Theologorum ſapientia.

DVO quidem in animo ſunt, ueritas, & opinio; quas inuicèm contrarias eſſe conſtat. Primùm enim, opinio cum formidine eſt; ſcientia, ac ueritas, cum certitudine. Opinio nanque imperfecta eſt ſcientia. Demum autem, ab illa ignorantiã, ab hac ſcientiam, acquirimus; hæc habente diuino Hippocrate. Duo in anima ſunt, ſcientia, ſeu ueritas, & opinio; quarum, altera ſcire, altera ignorare; nos facit. Itẽ Galen. Hippocrates utique nominibus, legis hominum opinionem naturæ autem rerum ueritatem; intelligit Gal. 1. de hum. nu. 23. Poſtremò uerò ambæ mulieribus ſimiles ſunt; diuerſo, tam extimo, quàm intimo; corporis, animæq́; ; habitu longè

Ariſt. 4. eth. 10. 16. & 7. eth. 3. & Au. 2. pri. 23. Ariſt. 3. eth. 5. Auerr. 1. poſter. in proœm. Hipp. in de lege.

dißimiles iuxtà eiusdem illud. *Veritas mulierem refert, pulchram, ac magnam, simpliciter ornatam, splendidam; cuius oculorum circuli puro lumine micant, ut stellarum fulgorem putares; lento gradu, ac benigniter, incedens. Opinio uerò & ipsa mulieri similis est; quæ quidem, non mala uidetur, audacior tamen, & concitacior.* Qua earũ diuersitate motus Aristoteles, alia secundùm ueritatem, alia secundùm opinionem; turpia, pulcra'ue; esse affirmauit. De Dæmonibus igitur secundùm; & Theologorũ Christianorum, platonicorumq; ueritatem; &, Metaphysicorum, Naturalium, Moralium, Medicorumq;, opinionem; in præsenti sermonem habiturus opere; priùs, an ij sint, disquirendum censeo; posteriùs, an morborum sint causæ. Si enim fortè non essent; quo'nam pacto morbos in ueherent, cùm non entis nulla sit actio? Non ens enim, neque mouet, neq; mouetur. Nam omne ens per formam est iuxtà, Aristotelis, & Auerrois; illa. *Magis quidem natura forma est, quàm materia. Vnumquodq́ enim tunc dicitur, cùm entelechia sit; & magis quàm, cùm potentia.* Item. *Actu existere formam quidem est habere.* Ἐντελέχεια autem idem græcè est, quod latinè perfectio. Dictam nanque esse autumant quasi τῦ ἐντελῆς συνοχὴν, hoc est perfecti corporis comprehensionem. Omnis autem actio à forma prouenit, tanquam à principio,

Hipp. 2. Philopœmeni epist. Arist. 3. eth. 16.

Auer. 5. phy. 8. 30.

Arist. 2. phy. 12. & 9. meta. 7. Auer. 1. phys. 69. Bud. in asse.

in compositis (etsi ; tum actiones ipsæ, suppositorum, seu compositorum, uerè sunt; tum actionis principium in simplicibus materia est) Non igitur entis, nec planè forma existit, nec consequenter actio ; ut penè ab antecedentis destructione ad consequentis ablationem formetur argumentum. Quod quidem non absonum in conuertibilibus essè uoluit Auerrois. Actu autem existere, & actualem habere formam ; inuicèm utiq; ueluti, homo, ac risibile ; dici uidentur ad conuertentiam. Cùm uerò, supposito, uel iam monstrato. Dæmones esse ; nobis fortè in dubium, an causæ morborum sint, uerti posset ; ideo ; priùs, an sint ; posteriùs, an morbos hominibus ingerere ualeant, illud uenari, hoc expiscari ; opere quidem nobis est precium. Quòd igitur, Angeli, seu Dæmones, actù sint; sententiarum nuncupati Magistri dogma auscultato ; singulis hominibus geminos Angelos esse affirmantis, alterum quippe bonum ob custodiam, alterum uerò malum ob præcipitium. Eius sententia talis est. Sciendum est ; quòd Angeli boni deputati sunt ad custodiam hominum ita ; ut quisq; electorum habeat Angelum ad sui, profectum, atque custodiam, specialiter delegatum. Vnde in Euangelio. Veritas à pusillorum scandalo prohibens, ait. Angeli eorum semper uident faciem Patris. Matthæi 18. B. Angelos dicit eos esse, quibus ad custo-

Auer 3. de anim. 36. & 2. phys. 1.

Arist. 1. met. in proœm. & 2. eth. 7. & Auerr. 2. phys. 37.

Auer. 2. phys. 1.

Auer. 7. phy. 16.

diam deputati sunt. Super quem locum Hieronymus tradit unamquanque animam ab exordio natiuitatis habere Angelum, ad sui custodiam deputatum; sic inquiens. Magna dignitas animarum est, ut unaquæq; ab ortu natiuitatis in custodiam sui Angelum habeat delegatum; Hieronymi 9. tomo. Gregorius quoque dicit commentario ad 18. caput Matthæi, quòd quisque, bonum Angelum, sibi ad custodiam deputatum, & unum malum, ad exercitium; habet. Cùm enim omnes Angeli boni, nostrum bonum uelint, communiterq́; saluti hominum studeant; ille tamen, qui deputatus est alicui ad custodiam, eum specialiter hortatur ad bonum; sicut legitur, de Angelo Thobiæ, & de Angelo Petri, in Actibus Apostolorum. Similiter & mali Angeli, cùm desiderent malum hominum; magis tamen hominem ad malum incitat, & ad nocendum fortiùs instat, ille, qui ad exercitiũ eius deputatus est. Hæc ille. Dæmonas igitur, & Christianis Theologis, & ueritati esse, nemo inficietur. Quòd uerò morborũ sint causæ, Thomam auscultato, quodã loco affirmantem; omnibus penè, incommodis, ac malis; nos posse eos afficere. Cacodæmones permittente Deo læsiones possunt in hominum res inferre, hoc est in, opes, famam, corpus, rationis usum, ac uitam. Quasi uoluisset diuinus hic uir; cùm tria sint hominis bona; externa, seu fortunæ; & interna, cùm

Petr. lomb. 2. sent. 11. dist. a

Thom 2. sent. 34. dist.

corporis, tùm animæ; in horum singula sæuire Dæmones posse. In externa; quales, opes, ac fama; existunt. In interna corporis; quales sunt, sanitas, & uita; eam morbo, hanc nece; abolendo. In interna uerò animi; rationis ei usum adimendo. Vt autem (prioribus illis, ac postremis hisce; quòd ad propositam non farraginem faciant; dimißis) aliqua de medijs in medium afferantur; omnibus utique diui illius Iob exemplum est in propatulo, quem lepra Domino permittente Dæmon, infecit, & affecit. Patet enim Satanæ Deum imperasse, ut morbosis ulceribus eum affligeret, sic ei dicentem. Ecce, in manu tua est, Verùntamen animam illius serua. Hoc est, sanitatem ei deme, uitam ne adime. Egressus igitur Satan à facie Domini; percußit Iob ulcere peßimo à planta pedis usque ad uerticem eius, qui testa saniem radebat, sedens in sterquilino. Iob. 2. Extat prætereà & quò ad mortem exemplum illud de septem Sarræ uirginis uiris, eius matrimonio indignis, à Dæmone ob immoderatum rei cum ea uenereæ appetitum occisis. Quid pluribus iam uerbis est opus? Veneficarum malleum perlege; & penè innumerabilia, non antiquiorum tantùm, sed & recentiorum, id genus exempla; inuenies. Præter hæc; quòd ij sint; quodq; nos, & boni custodiant, & improbi lædant; Prophetarum Principem, Dauidem, sic de

Arist. 7. polit.

Iob 2.

Iob. 3.

utrisq; canentem; auscultato. Immittet Angelus Dominij in circuitu timentium eum; & eripiet eos. Item. Fiant tanquàm puluius ante faciem uenti, & Angelus Domini coartans eos. Itidem. Quoniam Angelis suis Deus mandauit de te, ut custodiant te in omnibus uijs tuis. In manibus portabunt te, nè fortè offendas ad lapidem pedem tuum. Prætereà. Misit in eos iram indignationis suæ, indignationem, & iram, & tribulationem; immißiones per Angelos malos. Item. A' sagitta uolante in die, à negocio, perambulante in tenebris, ab incursu, & Dæmonio, meridiano; scilicet non timebis (ut antea dixerat) scuto nanque te Dei ueritas circundabit. Poßunt huc itidem & utriusque, tàm boni, quàm mali, Dæmonis exempla congeri, probi quippe, Tobiam ducentis, improbi uerò, Iudam illum Scariobt, ob D. nostri traditionem suspendentis. Quasobres theologica ueritas, & Dæmones esse, & calamitatibus humana cum fortunæ externa; tùm, corporis, atque animi, interna, sæpiùs afficere, bona; dubio procul nobis cæcutientibus ostendit.

Dau. psal. 33.
Dau. psal. 34.
Dau. psal. 90.
Dau. psal. 77.
Dau. psal. 90.

DAEMONES AN SINT,

Et an morborum ſint cauſæ, pro Platonicorum Theologorum ſapientia.

PLatonici Theologi fuere primùm diuinus ipſe Plato; ſubinde uerò & eius ſectatores, Apuleius, Porphyrius, Proclus, Plotinus, Iamblicus, Euſebius, Alcinous, Magnus Syrianus, atque plures id genus alij. Si itaque de Dæmonibus eloqui his innixus, uelim; profectò aſſerendum erit; tum ipſos eſſe; tum hominibus, bona, ac mala; inferre. Cæterùm; ut perfectior à me de his ſermo fiat; altiùs exordiendum erit, proq; ſingulorum, elementorum (ut Quintiliani uerbo utar) ſeu prædicamentorum; quolibet de eis erit loquendum. Quò igitur ad ſubſtantiam; ſuppoſito; Dæmones ipſos, alios utique Porphyrio bonos eſſe, alios malos (Etſi omnes Euſebio mali ſint) alios non errabundos, alios uagos; dicendum eſt ipſos eſſe naturam quampiam, diuinæ, & humanæ, naturæ, participem; ſic habente ad uerbum Euſebio. Priſcorum, hominum, atque ſapientum, teſtimonio; patet; Dæmonas eſſe naturas quaſdam inter, Deos, atque homines; quæ mortalium paßiones ſuſcipiunt. Subdendum præterea eſt ex, anima, & corpore, eos conſtare;

Quint. l. 3. c. 7. *Subſtãtia.*

Por. 2. de anim. abſtin. 1. 2. *Euſeb. l. 4. c. 6.* *Porp. ibid.*

Euſeb. l. 5. c. 4.

iuxtà Porphyrij illud. Spirituale Dæmonum corpus, libamine, carniumq; nidore; oblectatur. Corpore autem, non quidem opaco, aut solido; sed, diaphano, & inuisibili; iuxtà eiusdem illud. Dæmones omnes profectò, inuisibiles sunt, nec humanis sensibus prorsus manifesti; non enim solido corpore uestiuntur. Aërea nanque sunt iuxtà Platonis sententiam eorum corpora. Huius enim opinionis fuit Plato; quòd omne animal rationale esset triplex, aut, Deus, aut Dæmon, aut Homo. Contribuit autem propria singulis eorum corpora, cœleste, Deo, aëreum Dæmoni, terreum homini. Hinc igitur Apuleius affirmat Dæmonas esse, genere animalia, anima paßiua, mente rationalia, corpore aërea, temporeq; æterna. Aër autem, oculis non quidem ex se conspicuus, sed consideratione solùm, & affectu suo; cognoscitur, & fit manifestus. Hoc est; non, sensu uel experientia; sed, ratiane tantùm, & à posteriori demonstratione; dignoscitur. Quò autem ad quantitatem, cùm sanè duplex ea sit, continua, & discreta; si primam quæras; sunt planè quanti Dæmones ipsi, quantaq; uidelicet, longa lata, atque profunda, eorum corpora. Nam omne corpus (seu naturale, seu mathematicum; uelis) cùm trina dimensione sit quantum; utique longum, latum, ac profundum; est. Si uerò, secundam, hoc est discretam, inquiras;

Porph. 2. de anim. abst. 2.

Porph. in ibi.

Apul. in de Deo socrat.

Hipp. in De flat.

Quãtitas.

Arist. in quant.

Auerr. 1. phys. 63. & in de sub. orb. cap. 1.

utique plurimos eos eſſe inueneris; quopiam tamen in numero, nobis incognito, à Deo conſtitutos; iuxtà Procli illud. Dij quidem uniuerſi Domini ſunt. Dæmonum uerò greges Dijs ſunt ſubacti ſecundùm Platonem. Hæc ille. Quò ad relationem Deorum utique Dæmones ipſi ſunt ſerui, cùm ſanè Dij eorum ſint Domini; iuxtà illud, iamiam conſcriptum. Dij quidem uniuerſi Domini ſunt. Dæmonum uerò greges Dijs ſunt ſubacti. Quò ad priorem qualitatis ſpeciem, qui habitus eſt; cùm habitus ſit, uel contemplatiuus, uel actiuus, uel factiuus; nam totuplex Ariſtoteli eſt ſcientia, hæc nanque demonſtratiuus eſt habitus; utique, ſcientias, atque artes, id genus omnes boni ipſi Dæmones, noſcunt, inq; hominum infundunt animos. Quòd theoricas ſcientias, percalleant, atque homini contribuant; hiſce uerbis affirmare uiſus eſt Auerroes. Hominum quippe multi ſunt opinati; multas artes, non ab humanis comprehenſionibus acquiri, immo à Dæmonibus tradi. Aliqui uerò, eas Prophetis ab Angelis tradi, & ideo, has artes maximum prophetiæ teſtimonium eſſe, affirmarunt. Quòd item actiuas; Iamblicus, & Porphyrius, uiri haud poſtremæ inter Platonicos notæ; his uerbis conſentiunt. Iamblicus enim ſic habet. Sunt media quædam numinum genera; qui, Ἔφοροι, præſideſq;, ſunt, diſcretionis, atque iudicij. Conſulunt, quæ fa-

Relatio. Procl. in comm. in Platonici ſym. poſ. Alcib. cap. 10.

Procl. ubi ſupr.

Qualitas. Habitus. Ariſt. 6 meta. 4. & 8. topic. 1 par. 1. c. 4 Ariſt. 8. ethic. 4.

Auer. in lib. deſtr. 3. diſp. 18 dub.

cere deceat, quæ declinare. Ad iusta quidem adiuuant, reuocant ab iniustis, & sæpè in homines iniquos iniurias, quas inferre conantur, iustè retorquent; ut, quæ agere moliebantur, patiantur ipsi. Porphyrius uerò habet sic. Cùm mali Dæmones, in multis mortalem lædant naturam, & quandoq; in magnis; certè boni Dæmones interim officia sua nunquam deserunt; sed, imminentia paßim à malis, pericula pro facultate significant; tum in somnijs ostendentes, tum per animos, diuinitus inspiratos; perq; alia multa. Ac, siquis posset significata illa discernere; omneis improborum, uel Dæmonum, uel hominum; machinas, deprehenderet, ac deuitaret. Hi nanque significant omnbus. Sed non quiuis significata cognoscit, neque quilibet scripta legere ualet, sed qui literas ante didicerit. Postremò, quòd & factiuas, seu mechanicas uulgò nuncupatus, artes ij quidem, sciant, hominibusq́, inspirent; idem sic Porphyrius asserit. Boni Dæmones ad eorum, quæ fiunt, utilitatem omnia procurant. Necnon, apud nos, artibus, & musicæ disciplinæ, & medicinæ, & gymnasticæ, atque similibus, præsunt. Vt autem socratis huc congeratur exemplum, quem (ut Proclus affirmat) theoricen, ac ethicen, proprius docuit Eudæmon (etsi circa moralia plurimum, naturalia nihil, hunc negociatum uoluerit Aristoteles) Proclum ipsum le-

Iambl. in de myster. cap. 31.

Porph. 2. de ani.abst. 2.

Por. ibid.

Arist. 1. meta. 5.

rito, talia ad uerbum dicentem. Ideo sanè perfectus Socrates erat; quòd, perfecto esset Dæmone gubernatus, & ad huiusmodi sui Dæmonis normam sese dirigens. Proinde, primò quidem per, intelligentiam, scientiamq;, rerum separatarum inspiratione Dæmonis fruebatur, ad diuinum amorem aßiduè reuocante. Secundò uerò, etiam in uitæ negocijs dirigebat prouidentiam suam erga deteriores, atque secundùm ipsam Dæmonis actionem non, intelligentia, seu cogitatione, tantùm, neque solis uiribus opinantibus, lumen accepit, inde procedens; sed ipso quoque spiritu, dum per totam eius uitam inspiratio illa dæmonica, repentè procederet, ipsumq; sensum iam moueret. Tales enim à bonis, Dæmonibus, atque Dijs, illustrationes contingere solent. Hæc ille. Eudæmones itaq;, seu, boni, beneficiq;, Dæmones; scientias, artesq;, & contemplatiuas, & morales, & mechanicas; tum percallent, tum probos edocent uiros. Quàtenus, deinde ad tertiam pertinet qualitatis speciem, quæ, paßio, paßibilis'ue qualitas, existit (secundam nanque uolens reticeo) planè Cacodæmones ipsi cunctis animæ sunt, quemadmodùm & nos, paßionibus obnoxii iustà Eusebii illud. Priscorum, hominum, atque sapientum, testimonio patet Dæmones esse naturas quasdam inter, Deos, & homines; quæ mortalium paßiones suscipiunt. Cùm autem paß-

Procl. in comm. in platonici symp. Alcib. c. 16.

Paßio.

Eus. l. 5. cap. 4.

ſio ſubalternum (ut aiunt) qualitatis ſit genus; utique & ſpecies ei ſubeſſe, neceſſe eſt. Priores igitur eius ſpecies quatuor eſſe, nemo eat inficias. Sunt autem hæ, Gaudium, Spes, Dolor, Timor.

Ideoq; qui cuncta percalluit, Vergilius

Verg. 6. æneid. *Hinc, metuunt, cupiuntq;, dolent, gaudentq;, nec auras. &cæt.*

Præterea & ſcientiæ, tum diuinæ ſapientiſsimus, tum naturalis ſcientiſsimus, tum moralis obſeruantiſsimus, Philoſophus Diuus Boëtius; his metris eoſdem concecinit affectus.

Tu quoque, ſi uis Lumine claro
Cernere uerum, Tramite recto
Carpere callem; Gaudia pelle,
Pelle timorem, Spemq; fugato,
Nec dolor adſit. Nubila mens eſt,
Vinctaq; frenis, Hæc ubi regnant.

Boët. 3. de conſol. phil. *Quatuor id genus affectus, ac nonnullas eorum ſpecies his planè uerbis connumerauit Ariſtoteles. Affectus quidem uoco, cupiditatem, iram, metum, audaciam, lætitiam, amorem, odium, deſiderium, æmulationem, miſericordiam, & uniuerſaliter illa; quæ, uoluptas, aut moleſtia; ſequitur.* *Ariſt. 2. ethic. 5.* *Eoſdem uerò ſic in genera diuiſiuè conformauit magnus Albertus. Quilibet animi affectus; uel circa bonum eſt, aut præſens, quod gaudium exiſtit; aut futurum, quæ ſpes; uel circa malum pariter, aut præſens, qui*

dolor;

dolor; aut futurum, qui timor. Cùm igitur Dæmones (ut priscorum Sapientum testimonio patet) naturæ sint inter, Deos, atque homines, mediæ; tales utique mortalium paßiones suscipiunt. Primùm nanque; gaudent. Nam; & omnibus rebus, iniquè, discorditerq́;, factis; admodum delectantur, &, uotis, supplicationibus, sacrificijs, libamine, sanguinis, carniumq́; nidore, proprijsq́ue aromatum suffitibus; maiorem oblectantur in modum. Secundò autem sperant. Par enim est hæc eos sperare priùs, quàm assequantur. Tertiò dolent, cùm ab hominibus, negliguntur, neque legitimum cultum nanciscuntur. Quartò timent ægyptiorum quorundam sacerdotum minas, cùm hi in ipsos dicunt. Nisi ita uos Dæmones feceritis, uel contrà siquid feceritis; cælos confringemus, uel Isidis occulta patefaciemus, uel arcanum, in abysso reconditum, diuualgabimus; aut Barin, idest sacram quandam apud Aegyptios nauim, sistemus, aut Osiridis membra Typhonidis pergemus, ac similia cætera. Et hæc satis sint quò ad primarios hosce quatuor Dæmonum affectus. Quò uerò ad reliquos, Primò irascuntur iuxtà illud. Rata quidem apud omnes fides est, Dæmonas certè læsuros genus humanum, si irascantur, propterea, quòd negligantur, neque legitimum nanciscantur cultum. Cumq́; excandescunt; infelices utique terris calamitates infe-

Alb. in cōpen. de ani. cap. 22.

Euseb. l. 5. c. 4. Por. 2. de anim. abstin. 2 & Euseb. l. 4. cap. 9. Por. inibi.

Por. ibid.

Iambl. in de myster. 36.

Porph. 2. de anim. abst. 2.

runt; ueluti, peſtem, penuriam, terræmotus, æſtus, incendia, idque genus alia. Secundò audentißimi quippe ſunt; quòd ipſos, quibus ſubiecti ſunt, Deos apud homines falsò criminari audeant, ſic dicente Porphyrio. Vnum hoc eſt inter maxima damna, quæ à maleficis inferuntur Dæmonibus, quòd uidelicet, cùm ipſi infelicium paßionum, terrenis incidentium, autores ſint; quales ſunt, peſtis, penuria, terræmotus, æſtus, incendium, ac ſimiles; nobis interea perſuadent, illos horum effectores eſſe; qui contrariorum potiùs, ideſt, fertilitatis, proſperitatisq́;, eiuſmodi ſunt autores. Sic itaque ſeipſos ex ipſa calamitatum cauſa conantur abſol uere. Atque hoc ipſum machinantes; primùm quidem iniuſtitiam ſuam latere nos moliuntur. Item. Quod autem omnium grauißimum eſt; perſuadent omnia, quæ ipſimet in nos inferunt, mala; à ſuperis effici à Deo, ut & Deum maximum criminationibus eiuſmodi ſubigant; quem tradunt omnia, ſurſum, ac deorſum, turbare. Hæc autem, ſimiliaq́;, faciunt; ſtudentes à recta Deorum ſententia nos abducere, adq́; ſeipſos adducere. Tertiò amant. Nam (teſte Porphyrio) tum concupiſcentijs, tum uoluptatibus; humanos incendunt animos. Necnon infelices, uidelicet Dæmones; φίλτρα, amatoriaq́; maleficia, machinantur. Omnis enim intemperantia per hos inualeſcit. Nam maiorem cum

Por. inibi, & Euſ. l. 4. c. 9.

Por. ibid.

Por. inibi.

Por. ibid. & Euſ. l. 4. c. 9.

Por. inibi.

puellis in modum, diuersari, similiaq; agere, oblectantur. Quartò, odèrunt homines, qui debitis (ut autumant) uotis; supplicationibus, sacrificijs, libaminibus, sanguinis, carniumq;, nidore, & proprijs aromatum suffitibus; ipsos, decorare, ac uenerari; dedignantur. Quintò, æmulantur, atque ambiunt, hoc est, cùm æmulatione, tùm ambitione, afficiuntur; quòd sibi proprios (ut dictum nunc est) affectent honores, hæc eodem dicente. Cacodæmones hominum animos, concupiscentijs, diuitiarumq;, & dominationū, cupiditatibus, incendunt. Item. Omnis, intemperantia, spesque, diuitiarum, ac gloriæ, per cacodæmones inualescit, præcipuè uerò deceptiò. Mendacium enim proprium quidem est huiusmodi Dæmonum. Item. Rata apud omneis fides est Dæmonas certè læsuros genus humanum, si irascantur, propterea quòd, negligantur, neque legitimum cultum nanciscantur; rursusq; benefacturos hominibus, qui eos, uotis, supplicationibusq;, sacrificijs, ac reliquis id genus, sibi conciliauerint. Sextò, miserentur, hoc est misericordia mouentur, nam, multa, maximaq;, hominibus interdum afferunt bona, iuxtà illud procli. Quidam Dæmon uitam, nuper editam, comitatur. Item. Bonus cuiusq; Dæmon unumquenque custodit à pueritia, actionesque eius omneis explorat, & uerba, & ante Parentes prouidet, & post Pa-

Apul. in de Deo Soc.

Porph. 2. de ani. abst. 2.

Por. ibid.

Por. inibi.

Por. ibid.

Procl. in Platonici symp. Alcib. c. 12.

rentes adest, tanquam totius uitæ gubernator aßiduus, atque post obitum dux est nobis ad iudices, inter nos, Minoën, Aeacum, & Rhadamantum. Prætereà & Iamblici illud auscultato. Sunt quædam numinum genera; qui, Ἔφοροι, præsidesq́; sunt, discretionis, atque iudicij, consulunt, quæ facere deceat, quæ declinare, ad iusta quidem adiuuant, reuocant ab iniustis. Hæc uerò de eudæmonibus, non de cacodemonibus, intelligantur. Firmiter enim Porphyrio teste credendum est, neque bonum Dæmonem unquàm lædere, neque prodesse malum. Cunctis igitur animæ affectibus eos esse obnoxios, platonico quidem lumine iam sole clariùs patet. Postremò, quà pertinet ad nouißimam eiusdem, categorematis, seu categoriæ, speciem; quæ, forma, circaq́; aliquid constans figura, sunt; Dæmones ipsi, nec quidem unam omnes formam habent, sed figuris plurimis insignitas. & formæ, quæ illorum spiritum obsignant, aliâs quidem apparent, aliâs uerò nequàquam. Aliquandò uerò & formas mutant illi scilicet, qui deteriores sunt. Concinnioribus tamen eudæmones, inconcinnioribus cacodæmones; sunt formis insigniti iuxtà eiusdem Porphyrij illud. In commensuratione bonorum Dæmonum corpus consistit, quemadmodùm & corpora nobis manifestorum. Sed maleficiorum Dæmonum inconcinna sunt. Necnon iuxtà Eusebij aliud.

Porph. 2. de ani. abst. 2.

Iambl. in de myst. c. 31.

Por. 2. de ani. abst. 2.

Forma, circaque aliquid constans, figura.

Por. inibi. & Euseb. l. 4. c. 9.

Por. ibid.

Proportionati sunt bonorum spiritus, sicut & corpora fuerunt. Malorum autem improportionati. & hæc de cunctis iam sint Dæmonum qualitatibus conscripta. Quò ad actionem; cùm sanè mundus duplex existat, alter magnus, qui μεγακόσμος *; alter paruus, qui* μιγροκόσμος*, græcè nominatur; In horum quidem utrunque Dæmones agere, Platonici asserunt, necnon in bruta animalia, quæ sub minoris huius mundi nomine contineri dicendum autumo. Quòd itaque primò utrunque pariter mundum agitent, sic affirmat Porphyrius. Nullum malum est, quod non audeant malefici Dæmones perpetrare. Habent enim, omnino, uiolentum, & male sanum, morem, desertum uidelicet meliorum custodia Dæmonum. Ideoq;, uehementes, repentinasq;, insidias; plurimùm, machinantur, & proruunt. Ac, dum incursiones agunt; partim latere conantur, partim inferunt uiolentiam. Quamobrem, acutæ, uelocesq;, sunt paßiones, ab eis illatæ. Curationes autem, emendationesque, à Dæmonibus melioribus tardiores esse uidentur. Quòd deinde in magnum agant mundum, ex eisdem Platonicis uiris eliciamus. Primoq;, quòd in mundi animam, qui teste uarrone Deus est; sic fassus est Porphyrius. Eudæmones transferunt, & nunciat humana quidem Dijs; dum uota quidem nostra ad Deos, uelut iudices, proferunt. Secundò, quòd & in*

Eusch. l. 4. cap. 9.
Actio.

Por. 2. de ani. abst. 2.

Por. ibid.

Auer. in l. de Str. disp. 3. dub. 18. eiusdem magni mundi corpus agant (cùm nanq; animali similis sit; ex, anima quidem, & corpore, compositus est) Primò quidem id de Eudæmonibus ita Platonici affirmant. Boni Dæmones; ad eorum, quæ fiunt, utilitatem omniaq; procurant; præsuntque, imbribus, temperatis uentis, aëriq; sereno, temperationique temporum; & reliquis, ad hæc omnia conferentibus.

Por. 2. de ani. abst. 2. Secundò & de cacodæmonibus idem sic asserunt. Cacodæmones, infelicium paßionum, terrenis incidentium, autores sunt; sicuti, penuriæ, ter *Porph. ubi supr.* ræmotus, æstus, incendij, atq; similium. Quod uerò & in paruum, qui homo est, mundulū hunc Dæmones agant; uel facilè ex eisdem commonstratur, hæc præmittendo; quòd, cùm homo ex, anima, ac corpore, magni quidem instar com- *Auer. in l. de st. disp. 3. dub. 12.* pactus sit; tum quidem in illam, tum in hoc, tum in ex his coniunctum; agunt Dæmones. Quòd in animam agant probi Dæmones, ita Porphyrius asserit. Eudæmones Deorum, iussa, monitionesq;, unà cū uaticinio; ad nos deducunt. *Por. inibi.* Item. Præsunt apud nos, artibus, & musicæ disciplinæ, & medicinæ, & gymnasticæ, atque *Por. ibid.* similibus. Itidem Iamblicus. Sunt media quædam Numinum genera; qui, Ἔφοροι, præsidesq;, sunt; discretionis, atque iudicij. Consulunt, quæ facere deceat, quæ declinare. Ad iusta quidem adiuuant, reuocant ab iniustis. *Iamb. in de myst. c. 31* Præterea & proclus. Bonus cuiusque Dæmon

unumquenque, & uiuentem, & uita iam functum; custodit. Post nanque obitum dux est nobis ad Iudices; uidelicet inferos, Minoa, Aeacum, & Rhadamanthum. Quod agant etiam in corpus, ipsemet sic commostrat Iamblicus. Ἔφοροι, Præsidesq́;, media sanè quæpiam Numinum genera; sæpè in homines iniquos iniurias, quas inferre conantur, iustè retorquent; ut, quæ agere moliebantur, patiantur ipsi. Quòd in coniunctum; ita ex Porphyrio uenari possumus, hæc ad uerbum dicente. Cùm mali Dæmones in multis mortalem lædant naturam, & quandoq́; in magnis; certè boni Dæmones interim officia sua nunquam deserunt; sed, imminentia paßim à malis, pericula pro facultate significant; tum in somnijs ostendentes, tum per animos, diuinitus inspiratos; perque alia multa. Ac, siquis posset significata discernere, omneis improborum machinas, deprehenderet, ac deuitaret. Hi nanque significant omnibus; sed, non quiuis significata cognoscit, nec quilibet scripta legere ualet, sed qui literas ante didicerit. Item. Rata quidem apud omnes fides est, Dæmonas benefacturos hominibus; qui eos, uotis, supplicationibusq́;, & sacrificijs, & alijs quæ consequuntur; sibi conciliauerunt. Præterea & ita proclus. Bonus cuiusque Dæmon, unumquenque custodit à pueritia, actionesque eius omneis explorat,

Proc. in platonici sym. Alcib. c. 3.

Iambl. in de myst. c. 31.

Por. 2. de ani. abst. 2.

Por. ibid.

& uerba; & ante parentes prouidet, & post parentes adest, tanquàm totius uitæ gubernator aßiduus. Itidem. Quidam Dæmon uitam, nuper editam, comitatur. Contrà, quòd & mali Dæmones pariter in hominis, animam, corpus, ac compositum, agant; sic fiet ex eisdem manifestum. Primò enim, quòd in animam, paucis hisce uerbis affirmat Porphyrius. Mali Dæmones in multis utique mortalem naturam lædunt. Item. Malefici Dæmones, concupiscentijs, ac, diuitiarum, dominationum, uoluptatumq;, cupiditatibus; hominum incendunt animos. Rursusq;, nouis, extraneisq;, opinionibus, nos inuoluunt; ex quibus, seditiones, ac bella, nascantur; & cætera generis eiusdem. Postremò, quòd, & in corpus, & in coniunctum, ijdem improbi Dæmones agant; sic fatetur Eusebius. Dæmones, cum, non poßint, aut nolint, animæ per corpus coniungi; quemadmodum Hercules Oethaliam, uirginis unius amore commotus, obsidebat; sic animam hominis, corpore detentam, petentes; pestem, bella, aliasq; calamitates, urbibus inuexerunt. Nec ante cessarunt, quàm habuerint, quod cupiebant. Itidem & Porphyrius. Rata quidem apud omees fides est, Dæmonas certè læsuros genus humanum, si irascantur, propterea, quòd, negligantur, neque legitimum cultum nancicantur. Præterea Eusebius. Hominum corpora

Proc. in platonici sym. Alcib. c. 3. Proc. inibi. 12.

Por. 2. de ani. abst. 2.

Por. inibi.

Euseb. l. 4. c. 4.

Por. 2. de ani. abst. 2.

sunt Dæmonibus plena; & maximè illorum, qui delicatis uiuunt cibis. Verumtamen est; non planè bonos, sed malos, homines; eos impetere iuxtà Porphyrij illud. Animum, purgatum, & purum, ob ipsam dissimilitudinem cacodæmones nunquàm aggrediuntur. Quòd denique & in bruta ijdem agant, sic fateri uisus est Eusebius. Brutorum assumpta figura Dæmones hominibus insiliunt. & hæc de actione. Quò ad passionẽ profectò quemadmodùm actio, quædam animæ est, quædã corporis; ita & passio, quædam illius, quædam huius, existit; quarum utrique, tam animali, quàm corporeæ; obnoxij Dæmones sunt. Animæ quidem passionibus eos esse affectos; ex hoc uel facilè patere uidetur, quòd Lucius asserit Apuleius. Dæmones sunt profectò, genere animalia, anima uerò passiua. Patet item ex hoc, quod affirmat Eusebius. Priscorum, hominum, ac sapientum, testimonio patet, Dæmonas esse naturas quasdam inter, Deos, atque homines, quæ mortalium passiones suscipiunt. Monstrari itidem & ex hoc potest; quòd, irascantur, iramq; suscipiant iuxtà Porphyrij illud. Rata apud omnes fides est Dæmonas certè læsuros genus humanum, si irascantur propterea; quòd, negligantur, neque cultum legitimum nanciscantur, quodq;, lætentur, hoc est lætitiam recipiant, sic eodem inibi subinde aduerbum subdente. Rur-

Eus.l.4.c 12.

Por.2.de ani.abst.2

Euseb.l.4. cap.12.

Passio. Gilbert. in actione.

Apul.in de Deo socrat.

Euseb.l.5. cap.4.

Por.2.de ani.abst.2.

suis benefacturos hominibus; qui eos, uotis, supplicationibus, sacrificijs, & alijs, quæ consequuntur; sibi conciliauerint. Cæterùm quid pluribus hîc opus est uerbis, cùm in tertia qualitatis specie, cunctis quidem eos animæ subesse affectibus, iam sit monstratum? Prætereà, & corporis eosdem esse paßionibus subditos; hisce pariter uerbis commostratur, ex eodem excerptis. Dæmonum spiritus quà quidem ratione corporeum quiddam est, paßioni obnoxium existit, ac dissolubile; sed quà ab animis ita deuinctum, species eius diu perseuerare potest, neque tamen est æternum. Consentaneum nanq; est aliquid ab eo semper affluere, atque nutriri. Item Eusebius. Spiritus, quà corporalis, paßibilis, & corruptibilis, est; quà uerò animæ colligatur; longo temporis spacio perdurat, æternus autem esse non potest; quoniam; mutatur, ac defluit. Itidem. Dæmones; libamine, carniumq; nidore; oblectantur. His enim; spirituale eorum corpus solet pinguescere. Viuit nanque hoc, uaporibus, fumigationibusque; atque uariè admodùm (ut par est) per uaria; nidoreq;, sanguinis, & carnium, uires acquirit: & hæc de paßione, tàm animali, quàm corporea; satis sint. Quò ad habitum (nam situm; seu positionem, sponte reticeo) Dæmones ipsi, interim quippe diuinum, interim humanum; interim brutum; præse habitum gerunt. Diui-

Por. initi.

Por. ibid.

Eufeb. l. 4. cap. 9.

Por. 2. de ani. absl. 2.

Habitus.

num quidem iuxtà Porphyrij illud. Mali Dæmones, tanquàm aliorum Deorum facies subeuntes, imprudentia nostra confici sibi turbas in societatem assumunt. Humanum autem hoc dicente Eusebio. Hominum corpora sunt Dæmonibus plena, & maximè illorum, qui delicatis uiuunt cibis. Brutum uerò sic eodem habente. Brutorum quidem assumpta figura Dæmones hominibus insiliunt. Et hæc de habitu paucula. Quò ad ubi profectò; si, uera opinatus est Thales, ac Deorum nomine Dæmonas intellexit; hi ubique sunt. Opinatus enim est milesius ipse Philosophus, omnia quidem esse Deorum plena. Vt autem asserit Porphyrius, incolunt quò ad megacosmum aërem, sic eo dicente. Maleficorum Dæmonum corpora locum incolunt, terræ uicinum. Vt uerò affirmat Eusebius; aërem, ac terram, incolunt; iuxtà illud. Iesu mortui diuinæ uires pulsis, Dæmonibus, ac falsiis Deis (qui, terrestrem hunc aërem, ac terræ cauernas, habitare condemnati; in hominum sepulchris, omniq; immunda materia, uagantur; sanguine, & uaporibus gaudentes) ad ueram humanum genus pietatem atraxerunt. Alcinoo uerò, & ignem, & aërem, & aquam, & terram, inhabitant; hæc eo ad uerbum dicente. Dæmones sunt quidem in singulis elementis (partim uisibiles, partim autem uisus aciem fugientes) in, æthere, atque igni, aëreq;, & aqua;

Por. in abi.

Euseb. l. 4. c. 12.

Euseb. ibid. ubi.

Arist. 1. de ani. 86.

Por. 2. de ani. abst. 2.

Euseb. l. 5. c. 1.

nè pars ulla mundi expers, animæ, animantis'ue natura præstantis relinqueretur. His autem, & terrena, &, quæ sub luna sunt, cuncta; subijciuntur. Quàtenus uerò ad microcosmum pertinet; humana incolunt corpora, iuxtà Eusebij illud. Hominum corpora sunt Dæmonibus plena; & maximè illorum, qui delicatis ui uunt cibis. Quin & brutorum ingrediuntur interdum corpora, sic eodem habente. Brutorum assumpta figura Dæmones hominibus insiliunt. Et hæc quò ad ubi. Quò uerò denique ad quando, quæ decem ipsarum categoriarum nouißima est; Apuleio quidem æterni Dæmones sunt iuxtà illud. Dæmones sunt, genere animalia, anima paßiui, mente rationales, corpore aërei, tem poreq; æterni. Porphyrio autem, atque Eusebio; non sanè æterni, sed longo denique temporis tractu corruptibiles. Etenim sic inquit Porphyrius. Dæmonum spiritus; qua quidem ratione corporeum quiddam est, paßioni obnoxium est, atque dissolubile; sed quà ab animis ita deuinctum; species eius diu perseuerare potest, neque tamen est æternum. Consentaneum nanq; est, aliquid ab eo semper effluere, atque nutriri. Eusebius itidem sic habet. Spiritus; quà corporalis, utique, paßibilis, & corruptibilis est; quà uerò animæ colligatus, longo temporis spacio perdurat, æternus autem esse non potest; quoniam, mutatur, ac defluit. De platonicis

Alci. in de plato. doct. c. 15.

Euseb. l. 4. c. 12.

Euse. inibi.

Quando.

Apul. in de Deo socratis.

Por. 2. de ani. abst. 2.

Eusеb. l. 4.

itaque Dæmonibus pro ſingulorum, elementorum, ſeu prædicamentorum, ſingulis; dictum iam ſit.

PROBLEMATIS I. LIBER II.

DAEMONES AN SINT, Et an morborum ſint cauſæ, pro ſupranaturalium philoſophorum ſcientia.



I metaphyſicè de eiſdem uelim nunc Dæmonibus eloqui; profectò, difficillimum, immo impoßibile, mihi fuerit, peripateticis (ut par eſt) innixo principijs, ipſos eſſe profiteri. Quamuis equidem id genus opinioni nè minimum aſſentiam. Monſtrari autem hoc (nè demonſtrari dicam) ſic uel facilè poteſt. Metaphyſicus; ſeu, ſupranaturalis, ac diuinus, philoſophus; de æterna quidem ut plurimùm ſubſtantia conſiderat. In huiuſmodi uerò ſubſtantia tria quidem ſunt, Motor, mobile, & motus. Quorum trium nullum aliud numero excedit, immo paria numero ſunt omnia; iuxtà Auerrois illud. Neceſſe eſt eundem eſſe, mouentium, motorum, ac motuum, in cœleſtibus, numerum. Primùm

Ariſt. & Auer. 12. meta. 1.

Auer. ibid. 48.

quidem igitur, tot sunt Motores, quot mobilia, sic eodem habente. Oportet utique, substantiarum mouentium numerum esse secundùm cælestium Motorum corporum numerum. Demum autem, tot Motores sunt, quot motus; hoc ipsomet dicente. Substantiarum mouentium numerus est secundùm numerum motuum. Immo, plures, pauciores'ue, existere; haud possunt, juxtà eiusdem illud. Impoßibile est aliquas esse, in cælestibus, mouentes substantias; præter illas, quæ secundùm motuum numerum sunt. Postremò uerò contrà tot motus sunt, quot, Motores, & mobilia; hoc ipsomet ad uerbum dicente. Necesse est motuum numerum esse pro, mouentium, ac motarum rerum; numero. Ad summam nostro sat proposito sit, tot quidem in cælis esse Motores, quot sunt orbes, ab eis commoti. Cùm autem hi, quinquaginta quinque, aut saltem quadraginta septem, tantùm sint; nimirùm & eorum totidem motores erunt. Quòd uerò id genus numerorum altero celestes ipsæ sphæræ contineantur; his planè uerbis, Eudoxi, calippiq;, autoritati innixus, affirmat, Philosophorum maximus, Aristoteles. Omnium quidem, & ferentium, & reuoluentium, ea numerus; quinque, & quinquaginta. Si autem, Lunæ, & Soli, non addiderit quis, quos diximus, motus; omnes sphæræ erunt, septem, & quadraginta. Pluralitas itaque, celestium,

Auer. in ib.

Auer. ibid. 43.

Auer. in ib. 48.

Auer. ibid.

ſphærarum tanta ſit. hæc Philoſophus. Tantum autem celeſtium, Mouentium, atque orbium, numerum; à Calippo athenienſi, temporis illius Aſtronomo; ac, eius Præceptore, Eudoxo; collegit Ariſtoteles, Aſtronomicam quidem non admodùm ſcientiam profeſſus. Fuit autem Calippus (ut ſimplicius aſſerit) Athenis cum ipſo Ariſtotele; magnaq; illi cum hoc fuit conſuetudo; quæ ab Eudoxo fuerant iam inuenta; tunc, corrigens, ac ſupplens. Ideo uerò, tot in cœleſtibus Motores, quot ſphæræ, ſunt; quòd nulla quidem abſtracta ſubſtantia ſit, quæ aliquem non orbem moueat. Siquæ enim, non mouentes, in uniuerſo forent ſubſtantiæ; profectò eſſent ocioſæ iuxtà illud. Nulla quidem abſtracta ſubſtantia eſt, quæ non moueat, quia diminutæ foret diſpoſitionis. Deus autem, & natura; nihil herclè faciunt fruſtra. Nihil enim, uel deficiens, uel ſuperuacaneum, aut uanum, agere natura ipſa ſolet; Iuxtà Galeni illud. Nihil à natura prætermiſſum eſt; neq; ſuperuacaneum quicquàm ab eadem eſt aſſumptum. Etiam Auerroë, nihil ocioſum naturam facere, affirmante. Illud autem, & fruſtra, & ocioſum, exiſtere dicendum eſt; quod ocioſam, nil penitus agens, uitam degit. In hypotheſim igitur aſſumpto; quodlibet totius uniuerſi ex ſe agens eſſe quidem, uel ſuperius, hoc eſt, primum Motorem, ac ſecundos; uel inferius, ideſt;

Aſtriz. 1. meta 47.

Ariſt. ibi. 46. 47.

Thom. 12. meta. 10. lect. 2. com.

Auer. inibi 48.

Auer ibid. 44.

Auer. inibi 48.

Ariſt. 1. cæl. 32. & Auerr. 2. cæl. 59.

Gal. 3. de uſu p. c. h

Gal. 9 de Hip. e. p. a.

Auerr. 2. cæl. 59.

tum naturam, forma; necnon, quæ ſenſitiua, uegetatiuaq́;, anima, exiſtit; tum uoluntatem, quæ intellectiuæ eſt animæ; profectò horum nullum Dæmones eſſe, dubio procul cenſendum autumo. Si nanque, ſecundas intelligentias eos eſſe, quiſpiam dixerit (de prima enim nemo quidem id unquã, excogitaret, nedum aſſereret) fateri eum opus erit, celeſtes orbes eos mouere, ſingulosq́; orbes ſingulos Demonas. Non igitur ex conſequio poßibile erit, hîc nobiſcum in ſublunaribus eos diuagari; quemadmodùm, de ſacro illo Thobiæ Eudæmone theologica uult ueritas; deq́; improbo alio Dæmone, Iob Dei iuſſu morbo afficiente. Cui tamen ſacroſanctißimæ ueritati nulla, refragari, uel reluctari, poteſt opinio. Prætereà, à geminis ſingulæ ſphæræ motoribus agitarentur, metaphyſico altero, Dæmonico altero. A' peripatetica autem hoc opinione manifeſtè digreditur ſingulis orbibus ſingulos Motores (quod omnes norunt) diſtribuente. Præter hæc; poſito, non tamen conceſſo, Dæmonas eſſe ſecundas cœleſtium intelligentias; utique, uel quadragenarium ſeptimum, uel quinquageſimum quintum; non Ariſtoteli numerum (ut monſtratum ſuperiùs eſt) unquàm excedent. Cùm tamen innumerabiles, tam Chriſtianæ, quàm platonicæ; Theologiæ, ac ueritati, ſint Dæmones. Si nanq; (ſubdent in hæc Peripatetici) numerum hunc tibi exceſſerint id

Auerr. 2. phy. 65.

Auer. 12. met. 48.

genus

genus Dæmones; quid'nam, hic, uel ibi, uel ubicunque fuerint; agent? Non enim sunt entia absque necessitate in immensum multiplicanda. Si autem asseratur, agentia quædam uoluntaria Dæmonas esse; necesse quidem erit, humanam sphærulam eos mouere asserentes fateri. Quod si fateantur; itidem & fateri cogentur; uel ipsos Dæmonas (non autem intellectiuam animam; quam à, Sole, & homine, genitus homo; à Deo consequitur) humana regere corpora; uel à geminis nautis, altero animali proprio, altero dæmonico accessorio; humanam gubernari nauem. Absit autem hoc, tanquàm nephas apud peripateticum forum; cuius utique ius unici humani corporis unicum tantùm intellectum esse, non plures; admittit. Sin affirmetur, sensitiuas eosdem esse animas (uegetatiuas enim animas, uel insensitiuas formas, eos esse; nemo, mentis compos, assereret) ad hoc utique uentum erit; ut, non homines, sed tantùm bruta animantia, eos inuadere; sit necesse fateri. Quamobrem in eandem; à peripateticis, omnium maximè uitatam, iterum foueam decidetur; hoc est idem corpus geminas eiusdem speciei animulas unà sensitiuas, incolere; alteram brutam; dæmonicam alteram. Prætereà Soli cacodæmones, non Eudæmones; essent. Non enim ratione, sed sensu tantùm, atque appetitu; si bruta inhabitarent; ducerentur. Metaphysicis ita-

Auer.

Arist. 2, phy. 26 & 5 phy. 1. 3. & 12. meta. 18.

que; seu, diuinis, ac supranaturalibus; Philosophis; Dæmones non sunt. Qui quidem, non entes, neque itidem morborum sunt causæ. Non
Auer. 5. phy. 8. & 8. phy. 30. *ens enim, nec mouet, nec mouetur.*

PROBLEMATIS I. LIBER III.

DAEMONES AN SINT, Et an morborum sint causæ, pro naturalium Philosophorum scientia.



E Dæmonibus item pro naturalium Philosophorum scientia sermonem iam habiturus; ad platonicam totius uniuersi rerum diuisionem recurrēdum hic duxi, & inductionem. His enim (ut Peripatetici autumant) in, latentium, & occultarum, rerum, declarationem; utendum est.
Auerr. 1. cæl. 2. & 2. phy. 3. & 6. phy. 41. *Primùm quidem igitur, à communissimis initium sumens; Ens in proprias eius, differentias, ac species; necnon has in subsequentes adusque indiuiduas, diuidam res; ad propositum Demum autem in diuisas iam id genus pedetentim reduxero. Eiusmodi itaque si Dæmones physicè sunt; profectò sunt entia. Nam*
Arist. 11. meta. 2. *ens Philosopho teste de omnibus dicitur. Cùm*

uerò ens duplex sit, potentia, & actu, sanè, uel potentia, uel actu, eos esse; erit necesse. Cùm igitur propriæ entis actu differentiæ sint, substantia, & accidens; nam ens prima sui diuisione (ut Peripatetici uolunt) in substantiam, & accidens, diuiditur; utique Dæmon ipse, aut erit substantia aut accidens. Si substantia; aut incorporea, aut corporea. Si incorporea; uel supranaturalis, uel naturalis, uel uiolenta (quàmuis autem, non substantiæ, sed accidenti, uiolentia competat; attamen; ut è Philosophia Dæmones ipsi penitus amoueantur; hæc secundùm, opinionem, non ueritatem; adiuncta est. Posset enim fortè quis obijcere; non, supranaturales, aut naturales, sed uiolentas, substantias Dæmonas esse; signo quidem ex ijs, quas in aëre per tempestates cõmoliri Platonicis assolent, uiolentias sumpto) Si supranaturalis; aut prima substantia (quod nefas est) aut secunda. Si naturalis; aut elementaris, aut elementata. Si elementaris; erit nimirùm forma, uel ignea, uel aërea, uel aquea, uel terrea. Si elementata; aut animalis, aut formalis. Si animalis; uel intellectiua, uel sensitiua, uel uegetatiua. Si intellectiua; erit anima humana. Si sensitiua; aut terrea; tum perfecta ut leonina; tum media hoc est semiperfecta, ueluti serpentina; tum imperfecta, sicuti lumbricea; aut aquea, & perfecta, ueluti delphinica; & imperfecta ut,

Arist. 3. phy. 3.

Arist. 2. phy. 4.

Arist. 7. meta. 5.

ostreitica, purpuracea, ſpongitica, buccinacea, & ſimilium aliqua; quæ, quòd brutorum, & plantarum, ſint media; ζωόφυτα græcè; plantanima, ſeu plantanimalia, latinè; uocantur, aut aërea, ueluti, aquilina, nycticoracea, papilionacea; aut ignea, qualis ſalamandracea. Hoc autem exempli tantùm gratia dictum ſit, de quo curandum non eſſe, uolunt Philoſophi. Eius enim medio rei quidem, non uerificatio, ſed manifeſtatio tantùm; quæritur. Falsò namque receptum eſt; igne ſalamandram non cremari. Nam ipſa (Galeno 3. De temperam autore) licèt ad certum uſque terminum, ob inſignem ſui frigiditatem, ab igne non patiatur; uritur tamen, ſi longo ſpacio fuerit igni admota. Ignis enim (ut eius etymologia præſefert) nihil gignit, hoc eſt omnia conſumit. Si uegetatiua erit, aut terrea, aut aquea. Si terrea; uel arborea, ueluti quærnea; uel arbuſtea, ut myrtea; uel fruticea, quemadmodum geniſtacea, uel arundinea, uel herbacea; ſicuti, panaceacea, dictamnea. Si aquea; erit ueluti, corallina. Si formalis; aut lapidea, aut metallica, aut mineralis. Si lapidea; uel gemmacea, uel marmorea. Si gemmacea; aut aquatica, ueluti margaritacea; aut terreſtris; ut, adamantina, ſmaragdina, pyropea, ſapphyria. Si marmorea, lapideaue; profectò, tum marmorea eſt, tum alabaſtrina, tum pyritica, tum

Auerr. 2. de an. 156. Auerr. 2. de ani. 67. Dioſc. l. 2. cap. 55.

Plin. l. 16. cap 36.

ophitica, tum gagatacea, tum galactitica, tum magnitica, tum ſpongitica, tum id genus. Si metallica; aut ſaturnia, ut plumbea; aut iouialis, ueluti ſtannea; aut martia, ſicuti ferrea; aut ſolaris, qualis aurea; aut uenerea, quemadmodùm ærea; aut mercurialis, ut hydrargyrea; aut denique lunaris, ueluti argentea. Si mineralis; uel ſulphurea, uel bituminea, uel ſalaris, uel id genus. Si uiolenta; aut quidem ad medium mouetur; ut, terrea, & aquea; aut à medio; quales, aërea, & ignea; aut circa medium, ut planetaris. Si autem Dæmon ipſe, non quidem incorporea ſubſtantia ſit (de qua hactenus dictum eſt) ſed corporea; adhuc pariter (ut de incorporeis iam dictum eſt) aut ſupranaturalis eſt, aut naturalis, aut uiolenta. Si ſupranaturalis; uel ſphærica, uel ſtellaris, uel planetaris. Si naturalis; aut elementaris, aut elementata. Si elementaris; uel ignea, uel aërea, uel aquea, uel terrea. Si elementata; aut animalis, aut formalis. Si animalis, uel intellectiua, ut homo; uel ſenſitiua, quale brutum; uel uegetatiua, ſicuti planta. Si formalis; aut lapidea, aut metallica, aut mineralis, & ſic de reliquis, ut in incorporeis ſubſtantijs eſt iam dictum. Vt itaque poſt tam longam rerum diuiſionem iam fiat ſingulorum, inductio, collatioq́; dicendum, ac inferendum, nunc eſt; horum quippe nullum congruere Dæmonibus ipſis, ſeu

Non ens, ſiue ens pot.
Obiectio.

de eis prædicari. Primò enim; ſi Dæmon ſit, non ens, ſiue ens potentia; intentum equidem habeo. Sin fortè, ſcioli, ſophiſtæ'ue, quipiam (quorum ſapientia eſt, prima negare principia, & ſapientiam deſtruere, Auer. 1. cœl. 78.) aſſererent, ipſum aliquid agere, licèt non ens exiſtat; quàmuis enim actu non ſit ens; eſt tamen ens potentia, à quo non ſanè potentias ens, ſiue

Reſponſio.

affectum, prouenire, abſonum eſt. Dicatur id nihil refragari. Etenim, non ens, ſiue ens potentia; neque tranſmutatur, neque quieſcit; neque, mouere, uel agere; quicquam poteſt. Omnis enim actio ab actuali forma prouenit. Non ens uerò formam non habet; cùm quidem, omne ens, ſiue omne quod eſt; ſit à forma iuxtà illud. Simpliciter, hoc eſt uerè, nihil eſſe dicitur, niſi, cùm in ſua ultima perfectione ſit, quod eſt formam habere. Iuxtaq; aliud. Id quidem eſt actu exiſtens, quod eſt formam habens.

Auerr. 8. phy. 4. 62. & 5. phy. 7. 8. 1. phy. 51. & 9. meta. 7. Auerr. 8. phy. 30. & 5 phy. 8. Ariſt. 2. phy 12. & 9. meta. 7. Auerr. 1. phy. 69.

Secundò; ſi Dæmones ipſi incorporeæ, æternæ, ſupranaturales, ſecundæq;, ſubſtantiæ, ſeu intelligentiæ, ſint; ſingulis utique eorum ſinguli præerunt orbibus; circaq; medium erunt, ac circulares; eorum motus. Præterea; ſi incorporei ſint; quo'nam modo poterunt hîc, diuagari, ſeu dimoueri; cùm indiuiſibiles utique ſint; quæ autem mouentur, omnia ſint diuiſibilia; partim nanque ſunt in termino à quo, partim in termino ad quem? Vt proinde, ſola ſit cor-

Secundæ intelligentiæ.

Ariſt. 8. phy. 40. 46 & 6. phy. 32. & 5. phy. 62.

pora moueri, aſſerendum. Præter hæc; ſi tales ſint; profectò neque bona, neque mala; nobis inferre poterunt. Ab antiquo enim (ut Peripatetici quidem uno omnes ore concinunt) nouum non prouenit (quòd, & antiquum opus ab antiquo agente, & nouum à nouo; neceſſariò fiat) immo non ſanè, niſi à corporeis, nouitates proueniunt. Ab antiquo etenim nouum non fieri; de antiquo utique; non corporeo, quale cælum eſt; ſed de incorporeo; quales, & prima intelligentia, & ſecundæ, exiſtunt; ab eiſdem intelligitur. Cæleſte nanque ipſum corpus medium quidem illis eſt inter, antiquum, & nouum. Eſt enim quò ad motus ſpeciem; qui, circularis, ac æternus, eſt; antiquum, quò uerò ad ſpeciei huius motus indiuidua nouum. Nouitates autem non, niſi à corporeis, eſſe; ſic quidem ad uerbum aſſerit Auerroes. Philoſophi profectò, primæ cauſæ nouitates attribuere, ſibi cauent. non enim illa corpus eſt. nouitates autem non, niſi à corpore, proueniunt. nam, quod ab omni materia nudum eſt, nihil recipit. Itidem ſi tales ſint; profectò immateriales ſunt. Non nanq; in cælo materia eſt, ſed, localiter eſt (ut aiunt) mobile, corpus tantùm iuxtà illud. Quædam; non habent materiam; aut, non talem, ſed ſolùm ſecundùm locum mobilem. Immo materiam non omnino habent; rectiusq́; ſubiectum, quàm materiam, habere, dicuntur.

Ariſt. & Auerr. 5. phy. 62. Auerr. 8. phy 46. Auer. in l. de ſtr. d. 12. d. 3. Auer. inibi Auer. ibid.

Auer. inibi

Auer. ibid.

Auer. in de ſubſt. orb.

Ariſt. 8. meta. 12. Auerr. 1. phy. 79.

Auerr. 8. met. 12. & 1. cœl. 20. & in de sub. orb. Quamobrem consequenter hominibus neque corruptio, neque interitus, seu mors, euenire ab eis possunt. Etenim, corruptionis, interitus, ac mortis, causa prima quidem est materia. Corruptionis quidem iuxtà illud. Corruptionis apud Philosophos causa materia est. Interitus autem, sic eodem habente. Animalis interitus propter materiam est. Mortis uerò, hæc ipsomet dicente. Mors est ex materiæ necessitate. Item. Mors est ex necessitate, hyles, seu primæ materiæ. Materia nanque formam appetit sicut, fœmina marem, & turpe bonum. Hanc uerò non, nisi præcedente forma præcorruta, recipere ualet. Nam formæ; priuatio est opposita. Contrarium autem suum contrarium non recipit. Non quidem recipit; quia non sese inuicèm compatiuntur. Non autem sese unà compati ualent; quòd eorum semper alterum sit alterius corruptio, quodq; omne ens naturale diligat se permanere. Auer. ubi supr. Præter hæc, incorporeos Dæmonas esse, suppositum si quidem à nobis fuerit; quo'nam in nos pacto, qui corporei sumus, agere poterunt; cumque morbo, tùm morte; nos afficere? Planè, nullo, ni fortè hallucinor (nunquàm enim hallucinari, supra captum hominis est) nam omnis, actio, & paßio; per contactum fiunt. Tangi autem ea sese inuicèm dicuntur, quorum ultima simul sunt. Vltimum autem, ad aliquid est, refer-

Auer. in l. dest. d. 4. d 2.
Auerr. 2. phy. 88.
Auer. ibid. 23.
Auerr. 1. phy. in proœm.
Arist. 1. phy. 81.
Arist. 1. phy. 69.
Auer. ibid. 51. & 5. phy. 14.
Auerr. 1. phy. 67.
Arist. ini bi. 81.
Gal. 3 præ. 43. & 2. de comp. m. 5. l. 8.
Auer. in de sens. c. 5. & 7 phy. 11.

tur nanque ad primum. Primum uerò, medium, & ultimum, propria quidem sunt; tam continuæ quantitatis; quales sunt, linea, superficies, corpus, tempus, & locus; quàm discretæ; quales, numerus, & oratio. In linea enim, primum, & ultimum, sunt extrema duo puncta; medium linea ipsa. In superficie autem, primum, atque ultimum, eam circundantes, lineæ; medium circundata peripheria. In corpore, primum, & ultimum, extremæ eius peripheriæ, medium corpus. In tempore, primum, extremumq́;, prius, ac posterius; instantia, temporaúe; medium ipsum tempus. In loco primum, & ultimum, extremæ ipsæ, locatum circundantes, superficies (est nanque locus, terminus, seu finis, siue ultimum; continentis corporis) Medium, locatum ipsum. In numero, primum, atque ultimum, extremæ ipsæ geminæ unitates, extremiúe numeri; medium, uel quod interiacet, uel quæ interiacent. Quod quidem; ut in ternario numero; extrema sunt, prima, tertiaq́;, unitates; medium secunda unitas. Quæ autem; ueluti in quaternario; extrema sunt, prima, quartaq́;, unitates; medium, uel media, secunda, tertiaq́;. In oratione uerò, uidelicet simplici, quam categoricam recentiores dicunt; primum est, suppositum, siue subiectum; ultimum appositum, seu prædicatum, medium, uerbum, seu copula. In composita

Arist. 11. meta. 11.

Arist. in Quant.

Arist 4. phy. 39.

uerò, siue hypothetica; uerbi causa in hac. Omne animans, uel currit, uel nat, uel uolat (de cuius falsitate curandum non est) primum existit prior cathegorica, ultimum nouissima, medium media. Ni fortasse iuxtà Philosophum dixeris; & literam esse syllaba priorem, & contrà litera posteriorem esse syllabam; uel exempli gratia in dictione uir. primam literam esse u. mediam i. ultimam r. Hæc autem; non orationis, sed dictionis, ex se, & primò; sunt. Præter hæc in rhetorica, siue oratoria oratione (quales essent, Aiacis, in Vlyssem, atque huius in illum; Sallustij in Ciceronem, necnon huius contrà in illum; & id genus reliquæ) primum est proœmium, ultimum peroratio, seu conclusio (Ἀνακεφαλαίωσιν Græci nominant) medium erit utique; quod hosce interiacet terminos; quodq́; narratione, diuisione, confirmatione, & confutatione; constat. Inuentio nanque iuxtà Ciceronem in sex orationis partes consumitur; in exordium, narrationem, diuisionem, confirmationem confutationem, & conclusionem. Posthabeo autem nunc spontè, prius secundùm nobilitatem, atque alia priora (de quibus agit Aristoteles) tanquàm ad rem minimè facientia. Cæterùm (ad propositum iam pedem ut referam) cùm quidem, neque orationis, neque numeri, neque loci, neque temporis; sed solius (cùm linea, tùm superficie; mediantibus) cor-

Arist. in priori.

Cic. 1. rhet. ad Here. 4. Arist. in priori.

poris, propriè contactus sit; solius itidem corporis est alteratio iuxtà Auerrois illud. Omne alteratum corpus est. Hinc igitur sic idem habet quodam loco Auerroes. Contigua naturalia sunt corpora; quorum, ultima, uidelicet superficies, simul quidem adeò sunt, ut ea nullum interiaceat medium extraneum corpus. Item alibi. Contigua necessariò; sunt magnitudines, in naturalibus quidem sunt corpora, in mathematicis uerò, lineæ, & superficies, esse possunt. Opus est igitur; ut alterans corporaliter alteratum tangat, ut ipsum alteret (aliter enim ipsum nunquàm poterit alterare) &, ut aliqua contactum qualitate, uelut organo; illud alteret, iuxtà eiusdem illud. Omne alterans tangit alteratum, ut, calefaciens calefactum, & frigefaciens frigefactum. Non igitur in summa poterunt incorporei ipsi Dæmones, aut superficie, quæ solius corporis est, aut morbo, aut nece; corporeos nos, uel tangere, uel alterare, uel corrumpere. Tertiò, si quidem elementares Dæmones ipsi sint formæ; profectò, si igneæ, uel aëreæ, à medio, sin, aqueæ, uel terreæ, ad medium; mouebuntur. Nam elementorum motus, à proprijs, qui fiunt formis; uel quidem à medio sunt, uel ad medium. A' medio nanque leuia, cùm aër, tum ignis; feruntur. Ad medium grauia, cùm aqua, tùm terra; mouentur. Non igitur hinc indè inordinatis quibusdam

Auer. 2 de anim. 50.

Auerr. 5. phy. 22.

Auer. ibid. 29. & 1. cæl. 32. & 1. de anim. 13. & 3. meta. 8.

Auerr. 7. phy. 11.

Elementares formæ.

Arist. 1. mete. 1.

Obiectio. motibus hîc diuagari inter nos possint. Siquis
autem, affirmaret, aq; posteriori, uel signo,
assereret, dæmonicas id genus formas ideo qui-
dem esse, quòd, quocunque ferantur, maxima,
ac terribilia, commoliantur; exempli gratia,
tum in terra, turbines, hiatus, arborum, tur-
rium, montiumq́;, casus, ac terræ ipsius mo-
tus; tum in aqua, fluctus, hiatus, ac tempesta-
tes; tum denique & in aëre, currentes ignes,
fulgura, tonitrua, uentos, grandines, idq́; ge-
Responsio. nus alia, mentes hominum perterrefacientia;
ei respondeatur naturalibus hisce effectibus, non
quidem (ut, Plato, ac eius sectatores consen-
tiunt) dæmonicas, sed (ut, Aristoteles, ac Pe-
ripatetici, uolunt) naturales, esse reddendas
causas; quas omneis, optimè, bellißimeq́;, in suis,
meteoris explicuit, ac demonstrauit, Philosopho-
rum maximus, atque optimus naturæ rimator,
Aristoteles. Etenim, tum uniuersalium effe-
Arist. 12. ctuum uniuersales, & particularium particula-
met. 27 & res, sunt causæ; tum interminatorum effectuum
2. phy. 38. interminatæ causæ, terminatorumq́; termina-
Auer. 2. tæ; tum proborum effectuum bonæ causæ, con-
phy. 55. traq́; improborum non bonæ; tum digniorum ef-
Aris. 2. to. fectuum digniores, ac uiliores uiliorum; tum actu
24. affectuum actu causæ, potentiaq́; effectuum po-
Albert. m. tentia causæ; tum denique, & contrariorum ef-
3. top. 3. fectuum contrariæ causæ, uel saltèm eædem, op-
Auerr. 2. posito tamen modo dispositæ. Veluti de sole coas-
phy. 38.
Arist. 2. de
gener. 56.

ſerunt Peripatetici; à quo, præſente generatio, abſente corruptio, proueniunt; deq́ue nauta, cuius, præſentia nauem ſaluat, abſentia eandem ſubmergit. Si nanque, idem, ac ſimiliter ſe habens, ſemper idem efficit; porrò contrà, diuerſum, ac diſsimiliter ſe habens, diuerſum efficiet. Eadem nanque, ſcientia, potentiaq́ue, contrariorum uidetur eſſe. Si igitur (ut ad propoſitum hæc redigantur) effectuum huiuſmodi tales ſunt cauſæ; par itidem eſt etiam naturalium effectuum, naturales, non dæmonicas, exiſtere cauſas; ut, effectus, eorumq́ue cauſæ, proportionales inuicèm ſint. Præterea nefas in puris naturalibus eſt aſſerere Dæmonas ipſos eſſe corpora, uel ignea, uel aërea, uel aquea, ut Alcinoo uiſum eſt, uel tantùm aërea, ut Apuleio. Nam ex aere, uel aqua, animatum conſtare corpus, Peripateticis eſt impoſsibile. Oportet enim firmum eſſe. Denique, cùm omne agens ob finem agat (nam, finis eſt, primus in intentione, poſtremus in executione, ideoq́ue eo iam adepto motus ceſſat) planè, quòd nullum ob finem mouet, ocioſè, fruſtraq́;, mouet. Hoc itaque taliter habente, à quo'nam imaginario fine moti, nos, percuſſerint, malo'ue aliquo affecerint, Dæmones; cùm, neque ob uindictam id moliri debeant, nulla quidem à nobiſmet iniuria prælaceſsiti, neque (quòd hi ſecundùm Platonicos Dijs obediant) ut eorum iuſſu humanas ani-

Ariſt. 2. gen. 56. 58
Idē 5. met. 2. & 2. phy. 30.
Idem 2. gener. 56.
Idē 5. ethi. 1. & Aue. 3. meta. 3.
Alcin. in de doctr. plat. 15.
Apul. in de Deo ſocrat.
Ariſt. 2. de ani. 111.
Idē 6. eth. 3. & 2. meta 9. & 2. phy. 75.
Auerr. 7. met. 23. & 2. phy. 89. & 3. anim. 49.
Ariſt. 1. gener. 55.
Auerr. 1. cœl. 65.

Por l. in symp. Al cib. 10.

mas ob errata propria in inferna tartara depellant. Nam pro, praua, ac infida, Peripateticorum opinione, neque id genus loca sunt, neque rerum humanarum (quà scilicèt, particularia sunt, & atoma) cognitionem, uel curam; Dij aliquam habent. Quartò, siquis sensorio, uolucrium, piscium, quadrupedum'ue, eosdem corpore frui, assereret; hallucinari profectò, ac cæcutire; uideretur. Opere nanque præcium foret eundem fateri geminas quippe, tum salamandram, tum aquilam, tum delphinem, tum leonem, intra se concludere animas; alteram, propriam, seu congenitam; uidelicet, salamandrinam, aquilinam, delphinicam, leoninam; alteram impropriam, siue accidentalem; dæmonicam. Nefas autem hoc apud Peripateticos esset. Hi nanque unicam tantùm, unius speciei, unico subiecto, inesse animam affirmant (cùm tamen constet specie diuersas eiusdem subiecti plures esse formas; uerbi causa, uegetantem, ac sentientem, bruti; necnon, uegetantem, sentientem, ac intelligentem, hominis) Si quidem enim unius formæ unicum primarium est subiectum iuxtà illud. Plura subiecta quàm unum unam formam habere est impoßibile; profectò & unius subiecti unica erit primaria forma, unicum illi tribuens esse, quòd unius entis unica tantùm sit essentia. Vnius enim primæ formæ unicum esse primarium sub-

Auer. 12. meta. 37. & 2. phy. 75. & 2. anim. 34.

Auer. in de subst. orb. cap. 1.

iectum, & unius principalis subiecti unicam esse primariam formam, ad conuertentiam inuicèm dicuntur; quemadmodùm, hominem esse risiuum, & risiuum esse hominem. In talibus autem non quidem est apud Peripateticos indecens ex utrolibet utrumlibet inferri. Prætereà subiectum, formam habens (ut ijdem asserunt) nullam sanè aliam nouam aduenientem formam nisi post prioris ablationem recipere ualet iuxtà Auerrois illud. Prima materia formam, qua substentetur; non habet. Si nanque eam haberet; aliam profectò nullam, nisi illa destructa reciperet. Intus enim apparens extraneum prohibet, sic habente quodam loco Aristotele. Est planè coloris susceptiuum, quod sine colore, soni autem absonum Sicq; pariter inibi subdente eius Auerroë. Colorem suscipiens, tum colore carere debet, tum colorem non habet. Quintò neque etiam affirmandum equidem duxerim, in uegetantium sese medullis includere Dæmonas. Nam eas si incolerent; utique, uiliori, incongruoq́ue, subiecto nobiliores inessent animæ, sensoria utique, & intelligens. Cùm tamen nobiliori digniorem natura (nisi quid maius impediat) semper locum sit constituere solita. Nobiliori enim nobilior debetur locus. Semperq́;, qui melior est, meliora meretur, &, qui optimus, maxima. Vt planè par pari (ut par est) referatur. &

Auerr. 2. phy. 23. & 4. phy. 33. 42.

Auer. in de subst. orb. cap. 1.

Arist. 2. de anim. 71.

Auer. ibid.

Arist. 3. de par. ani. 4.

Arist. 2. cœl. 74.

Arist. 4. ethic. 8.

proinde, substantialibus, omniũ uilißimis, elemẽtorũ formis (sunt nanq; tũ, diminutæ, hoc est, mancæ, & uiles; substantialium perfectarum formarum collatione; tum inter, substantias, & accidentia; mediũ esse habent) uilißima quidem omniũ, subiecta corpora Deus, & natura; nil incassum agentes constituere; qualia, terreum, aqueum, aëreum, igneum. Vegetatiuæ autem animæ, quæ forma melior est; melius utique corpus, quale herbaceum, ligneumq;. Sensitiuæ, hac digniori, dignius; quale, terreum quadrupedibus, aqueum apodibus, aëreum bipedibus. Intellectiuæ uerò animæ quæ hac ipsa longè nobilior est, adhuc nobilius corpus, quale humanum existit. Diuinißimis uerò secundis intelligentijs, quæ sublunares omnes, cùm formas, tùm animas, diuinitate nimirùm longißimè antecellunt; diuinißima dedere subiecta; quales sunt cœlestes orbes, materiæ, & corruptionis, immunes. Etenim natura ipsa; quæ quidem, & iusta in omnibus rebus est, & irrationabiliter, uel frustra, nihil agit; profectò, deficiens nihil, aut superuacaneum, aut uanum; agere solet iuxtà Galeni illud. Nihil à natura prætermissum est, neque superuacaneum quicquam ab eadem est assumptum. Item: Natura, artificiosè quidem omnia, ac iustè, peragit. Absit autem, uera, aut Nasonem, aut Maronem, iam cecinisse; qui quidem ambo, confabulati sunt, ille

Auerr. 3. cæl. 67. Arist. 1. cæl. 32.

Auer. 8. meta. 12. & 1. cæl. 92. & 3. c. de subst. or. Gal. 1. de usu p. Arist. 2. cæl. 59. Gal. 3. de usu p. Gal. 9. de usu p. Gal. 1. de natural. f.

Nympham

Nympham quandam, Cereri sacram, quærcui inditam; profano Erysichthoni, eam succidenti; talia obijcientem inducens.

Nympha sub hac ego sum, Cereri gratissima ligno.
Quæ tibi factorum pœnas instare tuorum
Vaticinor moriens, nostri solatia læti. Ouid. 8. Metam.

Hic uerò infelicem Polydorum, infelicissimi Priami filium, ab immanissimo Thracum Rege Polymnestore, dolo necatum, inque myrtea uirgulta conuersum; sic Aeneæ dicentem adducens.

Quid miserum Aenea laceras? Iam parce sepulchro,
Parce pias scælerare manis. Non, me tibi Troia
Externum tulit, aut cruor hic de stipite manat.
Heu, fuge crudeles terras, fuge littus auarum.
Nam Polydorus ego. Hîc, confixum ferrea texit
Telorum seges, & iaculis increuit acutis. Verg. 3. Aeneid.

Cùm nanque (ut Flaccus inquit)

Aut prodesse uelint, aut delectare, Poëtæ;

Profectò; non, ut prodessent, hæc illi cecinere; sed tantùm, ut, nouarum, insolitarumq; rerum miraculis; humanum, nouitatum cupidum, genus; oblectarent. Absit etiam Theophrasti, cunctorum maximi, peripateticæ hæreseos, assertoris, ac successoris, opinio; sensoriam stirpibus inesse animam, affirmantis. Non enim, tum nobiliori animæ tam ignobile congruit cor- Laert. in Arist. & Theophr. Theoph. la.

pus. Sextò inficias pariter eundum est, annulorum quorundam gemmis subesse Dæmonas, cùm quidem insensibile corpus intellectiuæ animæ haud poßit (ut monstratum iam est) subiectum esse ob ei, proportionalium, debitorumq́;, organorum; defectum. Quemadmodùm enim non quodlibet (Philosopho teste) ex quolibet,
Arist. 1. phy. 43. sed terminatum ex terminato, fit; nam album, cùm sanè fiat ex non albo, non ex omni
Arist. ibid. non albo, sed ex, nigro, uel medijs, fieri solet; sicuti etiam omnium entium; tum non quodlibet
Arist. inibi agit in quodlibet, sed terminatum in terminatum,
Auer. ibid. tum, non quodlibet à quolibet, sed terminatum
Aue. inibi. à terminato, patitur; ita pariter in omni, actione, & paßione, non planè quolibet instrumento, sed, determinato, ac proportionali, utitur, agens patiensq́;. Supposito igitur; &, corpo-
Auer. in l. destr. d. 3. d. 12. re, animaq́;, constare hominem; & animæ ipsius organum corpus esse; non quidem anima quælibet quolibet utitur in suis obeundis actio-
Auer. ibid. d. 1. d. 23. nibus organo; sed, determinato frui par est determinatam, ac proprio propriam. Determinatum autem, ac proprium, intellectiuæ animæ corpus; non quidem aut formale (de quo nunc sermo fit) aut uegetatiuum, aut sensitiuum, seu brutum, sed, intellectiuum, siue humanum, corpus existit; ut par pari relatum
Arist. 4. eth. 8. sit. Semper enim, qui melior est, meliora meretur, &, qui optimus, maxima. Septimò; si

uiolentas quaſdam, intelligentias, animas, formas'ue, Dæmonas eſſe dixerimus; oportebit utique, non æternos, ſed corruptibiles, eoſdem eſſe; nos confiteri iuxtà illud. Nullum, uiolenter motum, perpetuò mouetur. Item. Violentum non eſt manſiuum. Itidem. Impoßibile eſt, uiolentum æternum eſſe. Eius autem ratio ſit; quòd, præter, contra'ue, naturam, uiolentum ipſum ſit; necnon naturali contrarium. Nam uiolentum illud quidem eſt, cuius principium extrinſecum eſt, nihil illo, cui uis affertur, uin conferente. Qualis eſt lapidis motus, ſurſum proiecti. Nam deorſum proiecti lapidis motus, naturalis eſt, non uiolentus; quòd, depellentis, ſeu deijcientis, manus uim conferat proiectus ipſe lapis, non auerſetur. Contrà uerò naturale illud eſt, cuius principium eſt intrinſecum, ſponte, & multùm, illo, quod mouetur, uim conferente. Qualis eſt motus lapidis, cùm (ut dictum eſt) deiecti; tum, propriæ, ſuæq;, naturæ citrà depulſionem derelicti. Eſt enim natura in eo, in quo eſt, motus Ariſtoteli, necnon quietis, ex ſe principium. Quæ uerò præternaturam ſunt, ſempiterna quidem eſſe nequeunt. Immo citißimè corrumpuntur. Vt tale fiat in priori primæ figuræ modo argumentum.

Auerr. 1. cæl. 100. Auer. 12. meta. 54. Auerr. 2. cæl. 85. Auerr. 5. phy. 57. Auer. ibid. Ariſt. 3. eth. 23. & cæl. 20.

Ariſt. 2. phy. 3. Auerr. 2. phyſ. 18. Auerr. 1.

Omne præternaturam corruptibile.
Omne uiolentum præter naturam.

Omne igitur uiolentum corruptibile.
Vel in eiusdem secundo sic.
Nullum præter naturam sempiternum.
Omne uiolentum præternaturam.
Nullum itaque uiolentum sempiternum.
Octauò si, corporeas substantias Dæmonas esse, quispiam affirmaret; eadem penè omnia, quæ de incorporeis dicta iam sunt, inconuenientia euenirent. Nam, uel immista materiæ corpora sunt, uel mista. Si immista (qualia quidem esse cœlestia constat, quæ non nisi localiter nobilem materiam habent) constat utique; tum, malitiæ, deceptionis, & noxæ, caussam eos non esse (nam earum caussa materia est) tum circa medium eosdem moueri. Quod nanque in circuitu, seu gyrum, mouetur; circa medium fertur. Cœlestia quidem igitur ex consequio forent corpora. Sin contrà materiæ permista sint corpora; aut quidem à medio mouerentur; & sic essent, ignea, uel aeria; aut ad medium; forentq; aquea, terrea'ue. Non itaque, uoluntarijs, inordinatis, aut uagis, quibusdam hîc inter nos (ut alij censent) motibus agerentur; sed, ordinatis tantùm, & rectis, ex se; aut circularibus ex, necessario accidenti, non rarißimo. Quemadmodùm ignis euenit conuexo, quod quidem ad circularem lunaris orbis concaui motum, & uiolenter, & ex necessario accidenti; in gyrum perpetuo mouetur. Vltimò si neque

cæl. 15. Auerr. 8. 12. meta. 4. 10. Idē. 9. meta. 22. 1. poster. 90. 177. Arist. 1. cæl. 70.

Idem inibi 37.

Auerr. 1. physs. 66.

corporeæ, neque incorporeæ, substantiæ Dæmones sint, sed accidentia; profectò ex se nihil agent. Actio enim, & paßio, ex se quidem à substantia; uidelicet, composita, non simplici incorporea; in sublunaribus hisce perueniunt, ex accidenti autem ab accidente. Cùm nanque triplex substantia sit, materia, forma, & compositum; sanè actionis principium forma est. Id tamen, quod uerè agit, ipsum est compositum. Nam (teste Philosopho) actus, & generationes, omnes sunt circa singularia. Asserenteq; Auerroë causæ, quæ agunt, sunt particularia. Necnon contrà paßionis principium est materia. Id tamen, quod uerè patitur; adhuc est ipsum compositum iuxtà illud. Non utique forma, nec materia; sed σύνολον, *idest, integrum, siue uniuersum, seu compositum ex ambabus; generatur. Vt in summa; neque forma propriè agat, neque propriè patiatur materia; sed solum compositum ex eis, tum per formam agat, tum per materiam patiatur. Tametsi autem semper propter quod unumquodque tale, & illud magis; siue unumquodque est maximè tale, propter quod aliis inest uniuocatio; non tamen propterea hinc elici potest, uel magis quàm compositum formam agere, uel quàm idem magis pati materiam. Etenim duo id genus loca (quæ tamen in unum concidunt) in his utique sunt intelligen-*

Arist. 1. metaph. in proœm.
Auerr. 2. phy. 37.
Arist. 7. meta. 26. 27.
Arist. 2. gen. 53.
Arist. 1. poster. 10.
Arist. 2. meta. 4.

da; quæ, & causam, & eius effectum; condenominant iuxtà magni Auerrois illa. Cùm in eodem nomine plura communicant; & quoddam, scilicet causa, dignius quibusdam, uidelicet, effectu, uel effectibus; illud, quod illo nomine dignius est, hoc est causa, cæterorum quidem est causa; & cæterorum ad causalitatem dispositio talis est, qualis eorum in tali nomine dispositio. Item. Ex hoc nomine. motus. simpliciter non, nisi localis motus, intelligitur; cùm quidem tale nomen dicatur de, locali, & alijs, quales sunt ad quantitatem, & qualitatem; secundùm, priùs, & posterius, & simpliciter, secundumq; determinationem. Horum autem; de quibus nomen; tum secundùm, prius, ac posterius, dicitur; tum, simpliciter, & secundum determinationem; illud, de quo prius dicitur; eius quidem est causa, de quo per posteriùs. hæc ille. Verbi causa; si quis assereret magis, quàm compositum, formam actu esse; profectò uera caneret; nam, & forma est actu, & compositum actu est, & propter illam actu hoc eristit. Siquis itidem affirmaret magis, quàm compositum, materiam esse potentia; uerum pariformiter enunciaret; etenim; tum materia potentia est, tum compositum existit potentia, tum hoc est propter illam sanè potentia. Siquis autem (ut ad propositam rem nunc pes referatur) coassereret quàm compositum

Auerr. 7. meta. 3.

Auerr. 8. phy. 77.

Auerr. 7. meta. 7. & 8. meta. 7.

itidem, & formam magis agere, & mais pati materiam (quòd quidem illud, tum propter illam agat, tum propter hanc patiatur) à uero utique digrederetur; non enim in nomine, ac denominatione, id genus causæ cum suo conueniunt effectu; non nanque (ut dictum est) agit forma, nonq; materia patitur; sed, & agit, & patitur solum propriè compositum. Pariq;formiter; etsi, tum propter solem aer sit calidus, tum ob uinum homo ebrius; non tamen, aut aëre calidior sol (non enim actu, sed uirtute, calidus existit; Solo lumine, Soloq; motu, calfaciens) aut homine uinum magis ebrium; non enim ebrium, nisi ob effectum, ipsum est merum. In summa, actiones, & passiones; compositorum sunt. Cùm autem compositum duplex sit, materiale, & spirituale; profectò materiale ipsum proprijs in agendo qualitatibus, ueluti instrumentis, utitur; quemadmodùm proprio ense miles. Verbi causa ignis in aquam ingenita agit caliditate (primùm quidem in aërem, demum in ignem; eam uertendo) Nam ignis, non quà ignis, sed quà calidus; agit, calfacit, siccat, comburitq;, sic habente Philosopho. Quà quidem igitur, ignis, & aqua, nihil natum est, facere, uel pati; nec aliud quicquam. Quà autem in unoquoque contrarietas inest; hæc omnia, & faciunt, & patiuntur. Non enim ignis agit quà ignis, hoc est

Auerr. 2. cæl. 42. & 1. meteo. 1. Auer. in l. destr. d. 9. d. 2.

Arist. in De. Sens. c. 5.

Arist. & Auerr. 1. De gen.e.c. 50. Arist. in subst. & 12. meta. 22. & 1. physi. 52. e. & 5. ph. 10

quatenus substantia (quòd, actiones causa contrarietas sit, substantiæ autem nil contrarium existat) sed agit quà calidus, idest qua accidens ei inest. Nam caliditas, & accidens est (inseparabile uidelicèt) & contrarium habet, quæ est frigiditas. Quamobrem rectè, nõ quà ignem, sed quà calidum, ignem agere; uoluit Aristoteles. Non nanque secundùm formas, sed secundùm qualitates; inuicèm sunt elementa contraria. Hinc itaq; Diuus Thomas. Quia naturalis actio est alicuius contrarij alterantis, ideo ignis agit secundùm suum calorẽ, cuius est aliquid contrarium, non autem secundum suam formam substantialem, quæ caret contrarietate, & hæc de materiali sit composito icta.

Auerr. 5. phys. 10. Albert. m. 2. de ani. tr. 3. c. 6.

Compositum uerò, siue agens, spirituale, non qualitate, sed forma; est agens. Etenim uisum, tum disgregat albedo, tum congregat nigredo; non quidem alia qualitate, quàm proprijs utriusque obiectiuis speciebus, illi occurrentibus. Nĩ fortè quispiam obijceret; uisibiles id genus species ab obiectis, ex quibus Aristoteli sphæricè reciduntur; quadantenùs diuersas esse.

Thom. in de sens. e. 5. lect. 9. com. 11.

Siue igitur actu, seu potentia, existere entia, Dæmones quispiam affirmet; siue substantias, uel corporeas, uel incorporeas; siue accidentia; profectò peripatetica eos nunquàm admittet opinio. Cæterum; quid'nam geminis hisce, quæ iamiam conscripturus sum, nec non alijs huius-

modi, penè innumeris, exemplis; dæmonas esse, ad sensum commostrantibus; respondebunt, omnium perspicacissimi, Peripatetici? Profectò respondere quod me iudice possent; ab exemplis eloquatur. Quamtamen responsionem, uel facile, iureq;, poterunt, sacri irridere Theologi. Horum autem primum (tempore scilicet, & dignitate) ex Eusebio pamphilio, magnæ autoritatis, uiro; Plutarchi, cùm historici, tùm Philosophi, chæronei autoritate enarratum; hæc ad uerbum habente, eliciatur. De morte uerò Dæmonum audiui ego ab Aemiliano rhetore, uiro, prudente, simul atque modesto; quem credo multos uestrum cognouisse; quòd, cùm in Italiam pater suus nauigaret circa insulas, quas echinadas appellant; flatu uentorum deficiente noctu prope Paxas deuenisse. Cumq; omnes penè, qui simul nauigabant, attentiores uigilarent; repentè à Paxis insula uocem magnam auditam fuisse, qua Thamnus quidam uocabatur. Quæ uox nouitate rei omnes magno perculit miraculo. Thamnus enim ille, qui uocabatur; homo erat ægyptius, eius ipsius nauis Gubernator. Quibus uocatus nihil respondit. Tertiò uerò uocatus; morem gessit uocanti, atque respondit. Illum uerò multo maiori uoce sic exclamasse. Quando iuxtà paludem fueris; annuncia tunc, magnum Pana mortuum esse. Qua re audita magno dicebat Epitherses (sic enim Aemiliani

Primum exemplum.

pater appellabatur) omnes terrore perculsos fuisse. Cumq; dubitarent utrùm, obtemperandum esset illi uoci, an non; hoc Thamni gubernatoris consilium ab omnibus comprobatum fuisse. Si secundi quidem spirarent uenti; nihil esse dicendum. Sin uerò tranquillitas maris esset, ac uentorum flatus, cùm in eo loco essent, omnino deficerent; non esse reticenda, quæ audiuêre. Cùm igitur iuxtà paludem essent; quia nullus erat flatus uentorum; tunc Thamnum, in mare pronum respicientem, magna uoce dixisse, quæ audiuerat. Magnus Pan mortuus est. Qua re nunciata, magnus multorum genitus, immo uerò innumerabilium miraculo quodam commictus; subitò auditus fuerat. & quoniam multi fuerant, qui ea in naui nauigabant; citò, ac facilè, cùm Romam uenissent, huiusmodi rei rumores uniuersam urbem repleuerunt. & à Tyberio Cæsare, qui tunc gubernacula Reipublicæ gerebat, Thamnum accersitum fuisse. Cui rei tantam fidem Tyberius præbuit; ut Philosophis, qui tunc Romæ reperti erant, accitis; diligenter, quis'nam esset ille Pan, & curiosè; scrutarentur. Omnes autem illos, quibusdam in idem conuenisse coniecturis, ac dixisse; de illo sibi uideri nunciatum fuisse; qui à, Mercurio, & Penelope; natus fuerat. Hæc Eusebius. Secundum uerò dæmonicum exemplum tale sit; cùm quidem à, fide dignis, nonnullis; tùm de-

Eus. l. 5. c. 9
Secundum exemplum.

nique & ab ipſo rei autore; mihi enarratum. Iacobus albertus, iureconſultus camers; diu quidem olim in Illuſtrißimi Iulij Cæſaris uarani, camertium Domini, curia diuerſatus olim eſt. Poſt cuius mortem, turbatis iam, atque (ut ſit) direptis, omnibus; arripuit quidem (ut aiunt) & ipſe, iuris, hoc eſt iniuriæ, conſultus; libellum quendam necromanticum, in prænominati Domini quadam arcula iam diu ſeruatum. Quo arrepto ſubindè ad montem cauſarium, unde præ ciues eius uxor originem traxerat; priùs, quàm furtum patefieret; remigrauit. Ibi longam ad usq; mortem uitam degens; libri uim nunquàm expertus eſt, magicæ quidem penitus artis ignarus. De magica tamen eius facultate; cum unico eius filio, nomine Arriuabeno, mihi quidem familiarißimo; quadam die non nulla incautè ſuſurrauit. Defuncto genitore, diuiteq́ue quadam muliere uxore aſſumpta; cœpit Arriuabenus ipſe (ut arriuamalus fieret) ſeſe in Alchymiæ fallacias, Chymiſtis quibuſdam furciferis ei rem ſuadentibus, pedetentim ingerere. Cumq́; poſt longa in id genus arte experimenta, dotalia multa, nedum patrimonium, penè totùm, fruſtra iam abſumpſiſſet; obuiaſſetq́; fortefortuna die quapiam germano cuidam peregrino, alchymicæ id genus artis haud imperito; ſalue dicens, eum interrogat, quemnam ex Germania in Italim ob finem acceßiſſet.

Cui ille; qui montem uictorem, quem ſybillæ nos Piceni montem dicimus, ut magicum libellum inibi ſacraret, adire percupiebat; Alchymiam; cum diuite aliquo, tùm exercendam, tùm peragendam, quòd eius rei peritiſsimus iam diu eſſet; cauſatur. Huic fidem adhibens Arriuabenus; propriam in domum eum conducit, uoti eum citò compotem fore pollicitus. Ibiq; unà ambo diu cõmorati; multa quidem experti in alchymicis ſunt. Verũtamen; cùm indiès omnia præter, intentum, ac ſpem, ſuccederent; germano magicum libellum ſuum, caſu patefacit, cauteq; oſtendit; Arriuabenus. At ille, codiculi uim optimè perpendens; experiamur amabo (inquit) uera'ne, an ſomnia; liber contineat. Experiamur obſecro, retulit Arriuabenus. Quamobrem ſtatuta die, libellum, & enſem (Inermi germano coëunte, ſic enim pacti iam fuerant) coaſſumſit Arriuabenus. Eq; Monte cauſario ante ſolis ortum ambo clam abeunt. Ex monticauſarienſi oppido ad, montiſanctium, ac laurentanum, euntibus; uallis quædam; & per eam torrens, nomine Aſula, ex Appenninis montibus in adriaticum defluens mare; occurrunt. Quò cùm, Italus, ac Germanus, iam perueniſſent; denſiſsimam quandam ſyluam, in ſiniſtra torrentis ripa uirentem; ſimul ineunt. In cuius intimo non nullis iam ſucciſis enſe dumis, areaq; ut opus erat, confecta; extemplò à

Germano præmißis cerimonijs, ob talem peragi finem solitis; necnon amplo, cum geometricis quibusdam characteribus, ferula præsignato circulo; in eum ambo congrediuntur. Subindè Arriuabenus ipse, qui ei credere librum nolle, cum Germano iam pactus, arctißimè eum sinistra, gladium dextera, tenebat; illius iussu eum aperit. Eo iam patefacto; geminos tantùm sub militari habitu Dæmonas, germano conuocat Germanus idiomate. Quibus iam conuocatis; eccos subinde maximo cum uento, fragoreq;, binos cacodæmones; alterum equitem, galeatum, thoracatum, & opportunis omnibus armis refertum, equumq; equitantem nigerrimum; alterum peditem, ei præeuntem, ense succinctum, humeroq; sarissam gestantem. Quorum oculi mobilibus quibusdam adeò commicabant flammulis; ut, carbonarios uel facilè existimasses, ac difficilè eos concernere ualuisses. Cùm iam ad homines cacodæmones hi concurrissent; quid petitis? inquiunt. His barbarus homo respondens, germanicè quippe multa interrogauit, singulorumq; responsa tulit. Tandem, cùm iußisset in tartara eos redire; habenas iamiam uertenti inquit Arriuabenus. Quid nam de nostra futurum uidetur alchymia? Cui, subindè responsuro; abi germanice Germanus inquit, ne ampliùs loquere. Quibus auditis, eisdem quidem, & fragore, & uento, qui-

bus illuc concesserant, concitis; in tartara statim abiere. Postquàm illi iam euanuissent; Germano cœpit Arriuabenus exprobrare, malè eum egisse; qui, alchynicum sibi responsum Dæmonem reddere, prohibuisset. Indeq; in certam alchymicæ, falsitatis, ac uanitatis, suspitionem prolapsus; postridie eum dimisit, de mira magici libelli sui perfectione iam certior factus. Indè ferè ad biennium; cùm misellæ eius uxoris patrui nollent Arriuabeno, quòd malè rem suam gessisset, dotis expostulanti residuum persoluere; furoris œstro percitus, dæmonicum libellum corripit, eandem syluam, & aream; adit. Eisdemq; omnibus (uno excepto) quæ germanus olim inibi molitus fuerat, iam peractis; eccos statim cum solito, aëris, uentoso, atque arborum, fragore, penè innumerabiles Dæmonas, & turpissimas uultibus effigies, & asperrimos uncis manibus baculos, præse ferentes (oblitus enim ob iracundiæ uim iam fuerat Arriuamalus, & quot, & quali facie ad se uenturi forent, ut olim Germanus effecerat; illis præcipere) Circaque, præsignatum ab eo, circulum, intra quem misellus stabat, astantes; minis eum perterrebant, eq; circulo eum deturbare connitebantur, quid petis, quid petis, eorum singuli conflagitantes. Quas ob res, iam, exterritus; mentis inops, ac, modo huc, modò illuc, ob pauorem intra circulum

discurrens, pauperculus Arriuamalus; extra circulum inscius prolabitur. Prolapsum affatim conuerberantes, hinc inde proripiunt Dæmones, ac librum ei subripere connituntur. Eum tamen, intra sinum ab eo reconditum; eripere nunquàm ualuêre. In asulanum pontem, interim discurrens, interdum, repens, Arriuamalus iam peruenerat. Non enim adeò mentis, erat, & consilij, inops; ut recti penitus esset oblitus itineris. è ponte in asulanum torrentem eum deturbant Dæmones adeò, ut parum quidem abfuisset, quin (ut aqua, cænoq;, refertus erat) in eo miserum suffocassent. Fortè fortuna monticausariensis quidam rusticus, asellum agens (lignatum nanque rus ibat) asulanum ipsum pertransit pontem. Vbi, expauefacto, refugienteq;, asello; Arriuamalum ipsum in cæno natantem, semiq; animem, despicit, Despectum clamitat, Clamitatum, ac iamiam quadantenùs resipiscentem, crinibus arripit, è luto detrahit, asiniq; ope ad coniugem in oppidum uix reuehit. Ad eam cùm iam peruenisset Arriuamalus; quid moraris (inquit) uxor? Cur non hisce, qui me huc comitati sunt, comitibus, cænam iam paras? Illa uerò, quæ, & de libello quæpiam ab eo iamdiu perceperat, & eundem in eius tunc sinu repererat; uiraginem, hoc est uirum quàm fæmellam, potiùs agens; eum clam surripit, Fratrem Iulium quendam seruilianensem, au-

gustiniani cœnobij Priorem, sibi, cùm uicinia, tùm honestißima familiaritate, iunctum; statim accersit, codicemq; ei porrigit. Quem ille arripiens; bono (inquit) animo mulier esto, nam, & libellum hunc in ignem; &, quos asseris, dæmones in infernum; iamiam demittemus. His dictis, cœnobium adit, sacrisque induitur pannis. Euestigioque, tum sacrosancta cruce ab eo, tum benedictæ, quam uocant, aquæ uasculo à iuniori quodam heremita, præsumptis; ad mulierem, cui, ut ignem statim accenderet, abiens præceperat; redit. Librumq;, tam fœmina, quàm alijs, qui illuc (ut fit) iam multi concurrerant; spectantibus; in ignem proiecit. Non defuêre autem (rumor enim diu fuit in populo.) qui; non magicum illum codicem; sed, missalem, uel breuiarium; alium, illi non ab similem; cœnobitam Iulium in ignem proiecisse, coaffirmarent. Id tamen inficiatus semper fuit Arriuabenus. Qui post factum (licet, decolor, ac ualetudinarius, semper extitisset.) diu superuixit; mihiq; rem hanc anno Domini. 1541. amice exposcenti, libentißimè ad uerbum retulit. Quam tamen ab alijs nonnullis iam diu audiueram. Quidnam autem fortè in hoc respondere possent Philosophorum maximi Peripatetici? Profectò; aut huiuscemodi, exempla (quòd ex paticularibus sint; quæ, neque per disciplinam neque per intellum; noscuntur) abnega-

abnegarent. Aut penitus talibus conceßis, dicerent; non quidem historias, sed mera referentium quorundam melancholicorum somnia; hæc extitisse. Melancholici enim quipiam ea; quæ uehementißimo affectu per diem, cupiunt, sperant, abhorrent, uel timent; adeò fixè per noctem somniant (quemadmodùm, amantibus, ac zelotipis; euenire nonnunquàm solet) ut eadem statim per diem uigilantes uerißimè uidere uideantur iuxtà magni Auerrois illud. Non est remotum ut aliquis homo comprehendat in uigilia, quod dormiens in somno. Immo fortè uidebit, ipsam rei formam, non suum simile; sicut dicitur de Gaumar. Boni autem (candide lector) consule. Non enim hîc decens est, ut Christianum, sed ut Peripateticum; de naturalibus eloqui. Non nanque pro euangelica ueritate, quæ, nullibi, & nunquam, decipitur; sed pro peripatetica opinione; sermonem hîc equidem habeo; à Peripateticis ipsis relata referens.

Them. 1. post. 1.

Auer. in de som. et uig.

PROBLEMATIS I.
LIBER IIII.

DAEMONES AN SINT,
Et an morborum ſint cauſæ, pro moralium philoſophorum ſcientia.



I uerò pariter & quà moralis Philoſophus peripateticam de dæmonica, tum eſſentijs, tum facultatibus, ſententiam uelim ferre; determinandum itidem erit, peripateticam eoſdem nequàquam admittere ſcientiam. Cùm tamen (ut mea ſententia fert) quæpiam alia, eudæmoni, cacoq́;dæmoni, quadantenùs analoga; ijdem admiſerint. Qualia utique ſunt; tum, Ratio, & appetitus; tum, bonus, ac malus; Genius. Vt autem analogia hæc clarè appareat; animum lector in mè conuertito. Homo ex, Anima, & corpore; compoſitus eſt. Quemadmodùm autem in corpore tria ſunt, affectus, potentia, habitus; ita & in Anima. Quæ quidem omnia, tum in prima, tum in ſecunda; qualitatis ſunt ſpecie. Corporei affectus tres ſunt, cauſa, moribus, & ſymptoma. Quicquid enim præter naturam in nobis eſt; affectus dicitur; ſiue affectio; ſeu diſpoſitio, quæ prima

Gal. 4. regim.a. 45. Auer. in l. Deſtr. d. 3. d. 12.

corp.affect. Gal. 3. de præſag. c. p. 1. Gal. ibid.

qualitatis ſpeciei existit; nam facilè permutatur hæc habente Philoſopho. Affectiones dicuntur; quæ ſunt, facilè mobiles, & citò permutabiles; ut, calor, & frigiditas; ſanitas, & ægritudo; & alia huiuſmodi. Afficitur enim circa eas homo quodammodò. Citò autem permutatur, & ex calido frigidus fit, & ex ſanitate in ægritudinem tranſit. Niſi fortè in his, quæ per temporis longitudinem contingit in naturam cuiuſque transferri; ut, inſanabilis, uel difficilè mobilis, exiſtat affectus, quem iam quilibet habitudinem uocet. Potentia autem, ſeu poteſtas (ſuppoſito quidem omne ens, uel potentia, uel actu; eſſe) eſt ad ea tria ſuſcipienda, uel eorum aliqua, uel ſaltèm aliquod, promptitudo iuxtà Galeni illud. Poteſtate quidem ea eſſe dicimus; quæ, quod dicuntur, id nondùm ſint, ſed facilè id fieri poßint; quoniam naturalem, ut id fiant, aptitudinem ſint adepta. Id autem genus potentia ſecundæ ſpeciei qualitatis eſt, ſic habente Philoſopho. ſecundùm naturalem, potentiam, uel impotentiam; pugillatores, uel curſores, uel ſalubres, uel inſalubres; dicimur. Non enim, quoniam ſit diſpoſitum aliquo modo, unumquodque huiuſmodi dicitur; ſed, quòd naturalem habet potentiam, uel facere quidem facilè, uel nihil pati. Vt, pugillatores, uel curſores, dicuntur; non, quòd ſint diſpoſiti, ſed quòd habeant potentiam

Ariſt. in qualit.
Corp. potẽ.
Ariſt. 8. phy. 85.

Gal. 1. de temperam.

quid facilè faciendi. Sanatiui autem dicuntur eò, quòd habeant potentiam naturalem, ut nihil à quibuslibet accidentibus patiantur. Aegrotatiui uerò, quòd habeant impotentiam nihil patiendi. Habitus uerò quatuor sunt, pulchritudo, integritas, robur, sanitas. Pulchritudo est membrorum symmetria, cum coloris bonitate. Integritas corporis membrorum consummatio existit. Robur est, firmitas, ac uis, corporis; inexpugnabilis ab ijs rebus, quæ corrumpere corpus censentur. Sanitas est media primorum, temperatura, constitutioq;. Circa igitur corpus tria cùm sint, affectus, potentia, habitus; totidem quidem & circa animam. Animales affectus sunt; tum, quos, uel uoluptas, uel molestia, sequitur; tum quos absque electione patimur; tum secundùm quos, neque boni, neque mali, dicimur; neque laudamur, neque uituperamur. Non nanque uituperatur; qui, timet, uel irascitur; sed, qui certo modo; hoc est; qui modum, uel non attingit, uel excedit. Qui nanque honesta prouocatus causa, nihil, aut parum, & absque electione, timet, uel irascitur; ille quidem, non laudem, sed uituperium; à, studioso, ac bono; meretur uiro. Necnon ille, qui, & ultra modum, & absque, electione, seu recto iudicio; id molitur. Itidem, non illam, sed hoc; ab eodem meretur. Ille uerò, qui, tum iusta motus causa, tum mediocri-

Arist. in qualit.
Cor. habit.
Gal in definition.m.
Gal. inibi.
Anim. affe.
Arist. 2. eth. 5.
Arist. ibid.
Arist inibi
Arist. ibid.

ter, timet, uel irascitur; non sanè uituperio, sed laude; ab eo est dignus. Studiosus autem uir; tum singula rectè iudicat, & in unoquoq; uerum discernit; tum de unaquaque re iudicat iudicium sanum. In cunctis enim id tale est, quale studioso uidetur. Honestatem enim omnibus præfert uir ipse studiosus. Cùm nanque uirtus (ut Philosophi asserunt) extremorum reiectrix, ac medij coniectatrix, sit, iuxtà illud. Vitij quidem, excessus, & defectus; est. Virtutis autem medium. Singulorum nanque mensura uirtutis est. Cùmq; eadem, uel electio, uel non sine electione, sit; electio autem sit cum, ratione, intellectu, cogitatione, ac mente. ideo Peripatetici quidem asserunt, primò, mediocritatem ipsam in omnibus esse laudandam, extrema uerò uituperatione digna. Secundò uirtutis esse, lætari, atque dolere, in quibus oportet, & ut oportet; iuxtà illud. Videtur ad moris maximum uirtutem esse; ut, gaudeat quis, quibus gaudere oportet; & oderit, quæ odisse oportet. Tertiò magnanimum uirum, neque ob prosperitatem extolli, neque ob aduersitatem deprimi; idest circa, prosperitatem, aduersitatemq;, omnem (ut cunque accidant) moderatè se habere. neque prosperis nimiùm gaudere; neque aduersis nimiùm turbari. Postremò studiosum uirum, & paupertate, & morbo, & alijs fortunæ aduersitatibus; laudabiliter

Arist. 3. eth. 7.
Auer. inibi
Arist. 10. eth. 6.
Arist. 9. eth. 9.
Arist. 2. eth. 5.
Arist. ibid.
Arist. 10. eth. 6.
Arist. 2. eth. 5.
Arist. 3. eth. 5.
Arist. 2. eth. 7.
Arist. 4. eth. 2.
Arist. 10. eth. 1.
Arist. 4. eth. 9.
Arist. inibi

Arist. 7. polit. uti. Affectus autem Philosophorum maximo sunt quidem maximè, cupiditas, ira, metus, audacia, lætitia, amor, odium, desyderium, æmulatio, misericordia; & uniuersaliter (ut dictum iam est) illa; quæ, uoluptas, aut molestia;

Arist. 2. eth. 5. sequitur. Alberto uerò magno, sola eorum genera connumeranti; quatuor sunt, gaudium,

Alb in cõpen. de ani. cap. 22. spes, dolor, ac timor (quos omnes, lætitiæ, desyderij, odij, metusq́; nominibus uisus est complexus esse Aristoteles)

Arist. 2. eth. 5. sunt enim; ex comprehensione, illinc quidem boni; uel præsentis, quod gaudium est, uel futuri, quæ spes; hinc uerò mali; aut præsentis, qui dolor existit, aut

Albe. ibid. futuri, qui timor. Cæterùm longè quidem, & post Aristotelem, & ante Albertum; eosdem cognouêre nostrorum, tum Poëtarum, tum Philosophorum, maximi; Vergilius, ac Boethus, seu uulgo Boëtius. Ille enim eos omneis uno hoc bellißimè cecinit carmine.

Verg. 6. Aeneid.

Hinc, metuunt, cupiuntq́;, dolent gaudentq́; nec
auras. &c.

Vt equidem dubio procul credendum censeam; & πολύισορα Maronem extitisse, & ἀδενίσορον. qui eum non perlegerit. Hic uerò sic eosdem his concinuit uersiculis.

Tu quoque; si uis, Lumine claro
Cernere uerum, Tramite recto
Carpere callem; Gaudia pelle,
Pelle timorem, Spemq́, fugato,

Nec dolor adsit. Nubila mens est,
Vinctaq; frenis; Hæc ubi regnant. Boët. 3. de consol. phil.

Quorum expositio talis sit. Triplex Aristoteli scientia est, contemplatiua, actiua, factiua. Finem autem, primæ ueritatem, secundæ actionem, tertiæ factionem (ut ita loquar) esse constat. Si igitur (quod omne agens ob finem agat; & alicuius causa semper faciat, qui intellectum habet) claro lumine; hoc est perspicuo intellectu; quod, uerum intrinsecum lumem, quique uerus Doctor, est; primæ finem scientiæ uelimus adipisci; uitanda quidem nobis sunt, gaudij, timoris, spei, doloris, ac reliquarum animalium paßionum; extrema. Nam uitia; talium sunt; ac mentem nubilam, nonq; ob id bellè iudicantem; faciunt. Solaq; adipiscenda nobis sunt media. Nam hæc, serenam, acutissimeq; cernentem; eandem reddant. Virtutes nanque talia sunt. Omnis autem uirtus; idipsum, cuius est, bene se habens perficit; eiusq; opus bene reddit. Si itidem & reliquarum, scientiarum, siue artium (actiuæ inquam, & factiuæ) fines consequi percupiamus; eorundem nobis sunt extrema; ut à nauigantibus, scopuli, & syrtes, omnino uitanda; mediumq;, ut salutifer portus, est peruestigandus. Frenis enim adeò uincta ab illis mens remanet; ut recta, neque per morales actus ea duce, neque per mechanicas operationes, uia progredi ualea-

Arist. 6. meta. 4. & 11. met. 6. Arist. 2. meta. 3. Arist. 6. eth. 3. Arist. 2. meta. 9. Lincon. 1. poster. 1. Arist. 2. eth. 5.

Aris. inibi.

Arist. ibid.

mus. Talis igitur hic mea sit seuerißimæ seuerini sententiæ obiter interpretatio. Necnon, tot, longeq; plures, ac tales, sint animi, affectus, seu affectiones, paßiones, perturbationes, ægritudines. In quibus, cùm, & magis, & minus, sint; profectò & æquale par est existere. Vbicunq; enim, magis, ac minus, sunt; ibidem & æquale. Magis igitur, ac minus, in affectibus existentia; sunt planè eorum, excessus, defectusq;. Verbi causa; tum modum excedens, tum diminuta; lætitia, spes'ue, ira & ambitio. Aequale uerò erit, lætitia, spes, ambitioq;, & ira; mediocris. Inter, plus nanq;, & minus; æquum est ac medium. Quoniam autem rebus, quibus utimur, bene, & malè, uti possumus; ideo, ut rectè affectibus ipsis utamur; non quidem extremis, sed mediocribus, eis nos uti; est opere precium. Nam singulorum mensura uirtutis est. Semperque, quod melius est; id nobis ipsis asciscere debemus. Melius autem, atque optimum; est bene agere. Quod sanè (ut dictum iam multoties est) à medio nunquàm recedit Iuxtà illud.

Arist. 5. eth. 6. — Arist. ini- bi. 7. — Arist. 8. eth. 1. — Arist. 10. eth. 6. — Arist. 7. polit. — Arist. ibid.

Est modus in rebus, sunt certideniq; fines;
Quos, ultra, citraq;; rectum consistere nequit. (Hor. 1. ser.)

Item.

Rectiùs uiues lycini, neque altum
Semper urgendo; neque, dum procellas
Cautus horrescis, nimiùm premendo

Littus iniquum.
Auream quiſquis mediocritatem
Diligit; tutus caret obſoleti
Sordibus tecti, caret inuidenda
Sobrius aula.
Sæpiùs, uentis agitatur ingens
Pinus, & celſæ grauiore caſu
Decidunt turres, Feriuntq́; ſummos
Fulmina Monteis.

Hactenùs de animi affectibus. Eiuſdem uerò habitus (Etenim de potentijs hîc conſcribere neceſſe non eſt) totidem quippe ſunt, quot corporis. Cùm nanque illi (monſtratum iam ut ſuperiùs eſt) quatuor ſint, pulchritudo, integritas, robur, & ſanitas; hi quidem ſunt (ut, horum ſinguli, illorum ſingulis; ordine reſpondeant) Iuſtitia, Prudentia, Fortitudo, Temperantia. Primò enim pulchritudini ſimilis eſſe uidetur Iuſtitia. Sicuti nanque illa, in membrorum Symmetria, cum coloris bonitate, intelligitur; ita pariter & hæc in eius commenſuratione exiſtit, quod in re quaq́; exuperat. Cuiq́; enim pro dignitate tribuit; ut, Dijs, parentibus, cognatis, amicis, familiaribus, ciuibus. Secundò; Integritati confertur Prudentia. Cùm nanque illa corporis membrorum ſit; hæc ſanè rectarum animi comprehenſionum conſummatio exiſtit. Tertiò proportione quidem corporis robori animi fortitudo conſentit. Quemadmo-

Horat. 2. carm. 10. ode.

Anim. habitus.

Gal. in definition. m.

Gal. inibi.

Gal. ibid.

dum enim robur eſt, firmitas, ac inexpugnabilis uis, corporis; ab ijs rebus, quæ corrumpere corpus cenſentur; ſic fortitudo eſt animi, robur, ac ſtrenuitas; ad ea perferenda; quæ, mortis, laboris, ærumnæ; ac denique omnium; quæ, grauia, ac terribilia, eſſe uidentur; ſpeciem impenſiùs præſeferunt. Poſtremò; & ſanitati proportione reſpondet temperantia. Vt enim ſanitas media primorum, temperatura, conſtitutioq́;, exiſtit; pariformiter quidem & modeſtia ab omni puri animi affectu, nempe à, uoluptate, metu, triſtitia, libidineq́;; redditio eſt. Quam ob cauſam; animi motus, imperturbatos, tranquilloſq́;, exhibet; eſtq́; hæc animæ, conſtitutio, & ſanitas. Huiuſmodi itaque ſint; tum corporis, tum animæ; & affectus, & potentiæ, & habitus. Quoniam autem omnia hæc, agibilia, & utilia, inutilia'ue, ſunt; in quibus nihil, firmum, neque ſtabile; eſt; ut etiam nec in ſanis; etenim rebus, quibus in agendo utimur, bene, & malè, uti poſſumus; ideo natura (quæcunque ea fuerit, uel ſuperior, uel inferior, uel utraque) quæ, tum nihil fruſtra peragit, tum in neceſſaris non deficit, tum ſemper, quod melius eſt, deſiderat; geminas indidit homini in anima, facultates, ſeu parte; alteram potiorem; ſecundùm quam, naturæ conuenienter meritò quidem homo, ac ex ratione uitam ſuam inſtituere, dicitur; al-

Gal. ubi ſupr.

Gal. inibi.

Ariſt. 2. eth 2.
Ariſt. 8. eth. 1.

Ariſt. 1. cal. 32.
Ariſt. 3. de ani. 45.
Ariſt. 2. de gen. 59.

teram deteriorem; secundùm quam contrà, dissentienter, ac ex perturbatione, hoc est, rationem, ac sensum; siue, rationem, & appetitum; seu mentem, & cupiditatem; siue, bonum Genium, & malum Genium, etenim Genios Δαίμονας Græci nominant, uel nanque eadem, uel proportione respondentia, hæc illis sunt, Quemadmodùm pariter, tum, naturæ, seu innato calori, qui quidem omnium naturalium corporearum operationum causa existit (natura opifex, Medicus minister est) proportionalis est ratio; tum in sex generibus, necessariò nostrum corpus alterantibus, delicto, uel delinquendi uoluntati; similis est appetitus, Parique formiter & medico moralis analogus est Philosophus. Nam, sicuti ille corporeos, ita quidem animales hic; affectus abigit. Hinc enim Galenus Medico de corporis, Philosopho autem cùm naturali tùm uel maximè morali de animæ; paßionibus, eloqui, ac suam doctrinam instituere; est conuenientius. Præter itaque, rationem, & appetitum; equidem, uel bonum, uel malum; Dæmonem apud morales Peripateticos hactenus, perlegi, aut inueni; nullum. Similes enim hi inuicèm esse adeò uidentur (utique; tum rationi eudemon, tum appetitui cacodæmon) ut idem penitus esse uideantur. cùm tamen, ratio, & appetitus, accidentia sint. Eudæmon uerò, & cacodæmon,

Gal. 5. de Hip.e.p.d.
Gal. in de hist.ph.28.
Λέξικον græc.

Gal. 1. aph. 15.

Gal. 6. de Hip.e p. d.

substantiæ quidem esse censeantur. Quanquàm autem, genere, nedum specie, inter se differunt; ab effectibus tamen, siue ob effectus; unà quippe similes uidentur. Etenim; sicuti probus, Angelus, Dæmon, seu Genius, hominem, ac eius nauiculam; è, syrtibus, scopulis, ac tempestate, in salutiferum portum, reuocat; ita pariter & ratio. Hæc enim semper ad optima nos prouocat. Necnon contrà; quemadmodùm improbus, Angelus, Dæmon, seu Genius; sic quidem & appetitus rationi perpetuus hostis; eundem hominem, eandemq́; nauem è portu extractos; in syrtes, scopulos, ac tempestatem; retrahit. Hic enim rationi perpetuò refragatur. Cùm nanque contraria inuicèm ambo sint; contrarios quidem effectus ea par est parere. Oppositarum nanque causarum oppositi quidem (ut Philosophus inquit) effectus sunt. Quòd Angeli, tàm boni, quàm mali, nobis sint; his uerbis affirmauit Prophetarum omnium Coryphæus, hæc ad uerbum de probis canens. Quoniam Angelis suis Deus mandauit de te, ut custodiant te in omnibus uijs tuis. In manibus portabunt te, nè fortè offendas ad lapidem pedem tuum. De improbis uerò & hæc. Misit in eos, iram indignationis suæ, indignationem, & iram, & tribulationem; immißiones per Angelos malos. Quòd Dæmones autem; tam probi, qui εὐδαίμονες; *quàm impro-*

Arist. 2. eth. 18.

Aris inibi.

Arist. ibid.

Arist. 4. meteor. 39. 41 & Gal. 3. reg. a. 8.

Dau. psal. 90.

Dau. psal. 77.

bi, qui κακοδαίμονες, appellantur; & ipsi Theologis sint; primò sententiarum, quem dicunt Magister sic affirmat. Quisque bonum Angelum, sibi ad custodiam deputatum; & unum malum ad exercitium, habet; ut Græгorius inquit commentario ad 18. caput Matthæi. Postremò uerò & platonicorum nonnulli, sic dicentes. Dæmonum, alij boni, alij mali. Item. Firmiter credendum est, neque bonum Dæmonem unquam lædere, neque prodesse malum. Itidem. Quidam Dæmon uitam, nuper editam, comitatur. Præter hæc. Hominum corpora sunt Dæmonibus plena; & maximè illorum, qui delicatis uiuunt cibis. Quòd pariter & Genij nobis insint, his affirmauit uerbis Plato. Hoc iam de præcipua in nobis animæ specie, hoc est rationali, considerandum ita est; ut dicamus, Genium à Deo in ipsa singulis concessum esse. Quem quidem Genium in suprema corporis nostri parte, idest in cerebro, habitare; & nos à terra ad cælum cognationem attollere; asserimus. Quòd denique, cùm appetitus, tùm ratio, in nobis uigeant; ex Aristotele habeo, hæc dicente. Vna quidem animæ pars sine ratione est. Alia rationem habet. Prætereà. Animus; quòd, dominus, & inuictus, sit; Arist. 7. politic, dominicum quidem in corpus habet imperium. Mens uerò in appetitum, ciuile; & regium. In quibus clarum est; secundùm, na-

Pet. lomb. 2. sent. 11. dist. A.
Por. 2. de anim. abst. 2.
Por. in hi.
Proc. in pa tonici sym. Alcibaid. 12.
Euseb. l. 4 c. 12.
Plat. in Ti. mæo. & Gal. 6. de Hip e p. a.
Arist. 1. eth. 18.

turam, & utilitatem, imperari ab animo corpori; & ab ea parte, quæ rationem habet; ei parti, quæ perturbationi ſubiacet. Item. Vt puerum oportet ſecundùm Pedagogi præcepta uiuere, ita cupiditas, hoc eſt appetitus, obedire debet rationi. Prætereà idem ex Galeno uel facile eſt depromere. Sic enim habet. Duæ quidem ſunt animæ facultates, toto inter ſeſe genere diſcrepantes; utique, rationalis, & rationis expers. Quoniam autem ad, explanationem, ac declarationem, rerum exempla quidem in medium ſunt ferenda; præcipueq́;, ſi imperſpicuæ eæ fuerint, perſpicua, iuxtà illud. Pro obſcuris clara quidem oportet inducere exēpla; ideo ſubdendum iam eſt; tum bonum, Tobiæ, & ſocrati; tum malum Iob, & Bruto; Angelum, Dæmonem, ſeu Genium; olim affuiſſe. (liceat autem huc; quòd peripatetica deſint; theologicum, platonicum, & hiſtoricum; exempla congerere) De bono nanque Tobiæ, Angelo, ſeu Dæmone; ſic habetur in ſacro ueteri libro. Tobias ſenex pater, reſpondit Tobiæ iuueni filio. Perge nunc, & inquire tibi aliquem fidelem uirum; qui eat tecum, ſalua mercede ſua; dum adhuc uiuo, ut recipias eam. Tunc egreſſus Tobias inuenit iuuenem ſplendidum, ſtantem, præcinctum, & quaſi paratum ad ambulandum. & ignorans, quòd Angelus Dei eſſet; ſalutauit eum, & di-

Ariſt. 1. polit.

Ariſt. 3. eth. 15.

Gal. 3. de Hip. e. p d.

Ariſt. 8. topic. 5. par. 1.

Ariſt. 2. eth. 2.

xit. *Vnde te habemus bone Iuuenis? &c.* Tob. 5. Pariformiter etiam de probo socratis, Angelo, Dæmone, siue Genio (ut sponte hîc conticeam, quem de eius Deo scripsit Apuleius, librum) sic habet ad uerbum Cicero. *Hoc de socrate accepimus, &c. esse diuinum quoddam, quod Dæmonium appellat; cui semper ipse paruerit, nunquàm impellenti, sæpe reuocanti.* Itidem quidem, & hæc, non extremæ inter Platonicos notæ, Proclus. *Ideo sanè perfectus socrates erat; quòd, perfecto esset Dæmone gubernatus, & ad huiusmodi sui Dæmonis normam sese dirigens. Proinde; primò quidem per, intelligentiam, scientiamq;, rerum separatarum inspiratione Dæmonis fruebatur, ad diuinum amorem assiduè reuocante. Secundò uerò & in uitæ negocijs dirigebat prouidentiam suam erga deteriores; atque secundùm ipsam Dæmonis actionem; non, intelligentia, siue cogitatione, tantùm; neque solis uiribus opinantibus lumen accepit, inde procedens; sed ipso quoque spiritu; dum per totam eius uitam inspiratio illa dæmonica, repentè procederet, ipsumq; sensum iam moueret. Tales enim à bonis, Dæmonibus, atque Dijs, illustrationes; contingere solent.* De improbo uerò patientissimi Iob Dæmone sic scriptum est in sacro ueteri libro. *Dixit Dominus ad Satan. Eece in manu tua est, uerùmtamen animam illius serua. Egres-*

Cic. in de diuin.

Procl. in plat. sym. Alcib. 16.

ſus igitur Satan à facie Domini, percußit Iob ulcere peßimo à planta pedis uſque ad uerticem eius; qui teſta ſaniem radebat, ſedens in
Iob 2 *ſterquilinio. De malo item M. Bruti Genio hæc ad uerbum habet chæroneus, & Philoſophus, & hiſtoriographus. Cùm, ex Aſia diſceſſurus foret Brutus, exercitumq; traijcere uellet; nox equidem erat, profunda, ac fermè media; lumen uerò, ſplendidum nimis, contubernia non habebant; & ſilentium undique tenebant caſtra. Is itaque, ſecum aliquid reputans, ſibiq; ipſi intentus; aliquem, ad ſe ingredientem, præſenſit. Ad introitum aſpiciens; horrendam, & monſtroſam, aſpexit imaginem; corporis, feri, atque terribilis; ſilentio ſibi aſſiſtere. Interrogare autem eam auſus Brutus; quis (inquit) hominum, aut Deorum; es? Quid tibi uis, qui ad nos ueniſti? Ad quem ſubmurmurauit ille. Tuus (ô Brute) malus Genius ſum. In Philippis me uidebis. Tum Brutus, non exterritus; uidebo, reſpondit. Verùm, cùm euanuiſſet imago, accerſitis pueris; atque his dicentibus; ſe, nullam uocem audiuiſſe, nullamq; uidiſſe imaginem; Brutus accubuit. Deinde, ſuborta luce, uerſus ad Caßium; uiſionem ei narrauit. Tum Caßius, rationibus Epicuri*
Plutarch. *innixus, &c. De, ratione uerò, & Appetitu;*
in Bruto. *talia refert Galenus. Eupolis Ariſtidem illum, qui dictus eſt iuſtus; Niciæ, interroganti, quo-*

nam modo iustus euasisset; probè, grauiterq;, respondentem, inducit; naturæ quidem, primum, maximumque, munus fuisse; deinde uerò se quoque prompto animo, ratione functum; naturam suam adiuuisse. Prætereà (ut galenico more poëticis equidem interdum sententijs innitar) sic inquit, de Medea loquens, Euripides, natos interemptura. Gal. in de cogn. c. 6. a. m.

Cognosco, quàm ne fanda nunc patro mala;
Sed ira consilio est potentior meo. Item. Gal. 3. de Hip. e. p. d.
Quidnam faciet anima,
Viscerosa, atque irrequieta,
Oestro irritata malorum? Gal ibid.
Sic pariter & de eadem Naso.
Et luctata diu, postquàm ratione furorem
Vincere non potuit. Item. Ouid. 7. metam.
Sed trahit inuitam noua uis, Aliudq; cupido,
Mens aliud suadet. Video meliora, proboq;,
Deteriora sequor. Ouid. inibi.

Nulli igitur ad summam, boni, mali'ue, aut Angeli, aut Dæmones, aut Genij; Moralibus peripateticis ipsis Philosophis sunt; sed tantùm ratio, quæ quidem illis in bonis, & appetitus, qui his in malis, æquiualet actionibus; eorum sunt, tum boni, tum mali; Angeli, Dæmones, Genij. Horum autem cum illis æquiualentia ex multis quidem uel facilè elici potest. Quò enim ad utraque hæc (ad, rationem scilicet, & appetitum, simul) quemadmodùm illorum; scilicet,

Petr. lomb. 2. sent. 11. distin. & Por. 2. de ani. abst. 2.

Arist. 1. eth. 18.

Por. 2. de anim. abst. 2.

Arist. 1. eth. 18. Procl. in plat. sym. Alcib. 12. Procl. idid. 3.

Por. 2. de ani. abst. 2. Por. inibi.

Iamb. in de mister. 31.

Angelorum, Dæmonum, Geniorum; alij boni, alij mali; ita pariter & harum animæ facultatum; altera proba, quæ ratio est; altera improba, qui appetitus; iuxtà Philosophi illud. Ratio ad optima nos prouocat. Appetitus autem rationi ipsi, repugnat, & resistit; hoc est prouocat ad pessima. Nam (ut suprà aliâs dictum iam est) è, syrtibus, scopulis, ac tempestate; in salutis nos portum subtrahit ratio. Contraq; ex hoc in illa nosmet, retrahit, ac proripit; appetitus. Quò uerò ad eorundem alterum, idest ad solam rationem; primò, sicuti eudæmon nunquàm lædit; ita & ratio nunquam ex se homini noxam ingerit. Semper enim hæc (autore Philosopho) ad optima prouocat. Secundò bonus ipse Dæmon, uitam, nuper editam, comitatur, & unumquenque à pueritia custodit; actionesq; eius explorat, & uerba; tanquàm uitæ gubernator assiduus. Necnon, tum quidem officia sua nunquam deserit; sed, imminentia passim à malis, pericula pro facultate significat; tum ad eorum, quæ fiunt, utilitatem omnia procurat; tum etiam, discretionis, atque iudicij, præses cùm sit; consulit, quæ facere deceat, quæq; declinare; ad iusta quidem adiuuans, ab iniustis reuocans; iuxtà thebani Cebetis illud. Ὁ δὲ γέρων ὁ ἄνω ἑστηκὼς ἔχων χάρτην τινὰ ἐν τῇ χειρὶ. Καὶ τῇ ἑτέρᾳ ὥσπερ δεικνύων τί οὗτος δαίμων καλεῖται. Προστάτ-

τα δὲ τοῖς εἰς πορευομένοις, τὶ δεῖ αὐτοὺς ετ ι εἶμ ὼς ἂν εἰσέλθωσιν εἰς τὸμ βίομ καὶ δεικνύει ποίαν ὁδὸν αὐτοὺς δεῖ βαδίζειν, εἰσώζεσθαι μέλλουσιν ἐμ τῷ βίῳ. *Hoc eſt. Senex uerò, ſuprà aſtans, habens chartam quandam in manu, & alteram tanquàm oſtendens quidpiam; hic Genius uocatur. Iubet enim ingredientibus; quid oportet eos facere, ut ingrediantur in uitam; & oſtendit qualem uiam eos oportet incedere, ſi ſeruandi ſunt in uita. Ratio pariter quidem & hæc commoliri omnia perpetuò nititur. Ipſa enim ad optima (ut dictum eſt) prouocat, ſtudioſum, bonumq́;, hominem facit; & uitatis extremis medium inſequi edocet. Singulorum nanque menſura, uirtutis, ac rationis, exiſtit. Tertiò; ſicuti, à probo, quàm ab improbo (ut perſpicuum eſt) Dæmone ſatius eſt hominem gubernari; nam firmiter credendum eſt; tum quidem, neque bonum Dæmonem unquam lædere, neque malum prodeſſe; tum illum, officia ſua nunquàm deſerere, ſed, imminentia paſſim, pericula pro facultate ſignificare; hunc uerò mortalem quidem in multis naturam lædere; ita, quòd hominem ex ſe, ratio ſemper adiuuet, lædat appetitus; utilius eſt, ſeſe hominem rationi tradere, quàm appetitui ſubijcere; iuxtà Galeni illud. Eundem quidem, in nobis ordinem inter ſe habent, ratio, & iracundia, ſiue appetitus, quem, eques, & equus;*

Κέβης ἐν πίνακι.

Cebes in tab.

Ariſt. 1. eth. 18.

Ariſt. 10. eth. 11. & 7. polit.

Ariſt. 10. eth. 6.

Porph. 2. de anim. abſt. 2.

Por. ibid.

quem, uenator, & canis. Iustius autem est, & conuenientius; ut, quod natura, nobilius, meliusq;, est, dominetur; eques uidelicèt equo, cani uenator, iracundiæ, appetituiq;, ratio.

Gal. 3. de Hip. e.p.d. Non nanque appetitum, sed rationem; omnium singularum actionum ducem natura nobis constituit. Quartò cacodæmoni semper, aduersatur, ac repugnat; Eudæmon. Etenim; boni Dæmones, officia sua nunquàm deserunt, sed imminentia passim à malis pericula pro facultate significant; nullumq; malum est, quod non audeant malèfici perpetrare Dæmones. Habent enim, omnino uiolentum, & malèsanum, morem; desertum uidelicet meliorum custodia Dæmonum. Pariq; formiter ratio, non appetitui tantùm repugnat; uerùm etiam interdum, imperat, uel imperare saltèm debet; iuxtà Philosophi illud. Dominus, & inuictus; est animus. Item. Vt puerum oportet secundùm Pedagogi præcepta uiuere; ita cupiditas debet obedire rationi. In eis scilicet; qui, sanè, & secundùm naturam, disposita, habent corpora. Licèt quidem in, insalubriter, ac præter naturam, habentibus; contrà appetitui succumbat ratio; sic habente Philosopho. Animal constat primùm ex, anima, & corpore; quorum, alterum imperat secundùm naturam, alterum paret. Oportet autem considerare naturam; non in corruptis; sed in his, quæ magis se habent secun-

Gal. 4. de Hip.e.p.d.

Por. 2. de ani.abst.2.

Por. inibi.

Arist. 7. polit.

Arist. 3. eth. 15.

dùm naturam. Nam, prauorum quidem, aut praue dispositorum, sæpè inuenietur corpus imperare animo ex eo; quia, peruersè, & præternaturam; se habet. Est igitur primùm in animali prospicere Imperium, dominicum, & ciuile. Nam animus quidem in corpus dominicum habet Imperium. Mens uero, seu ratio, in appetitum, ciuile, & Regium. In quibus clarum est; secundùm, naturam, & utilitatem, imperari ab animo corpori; & ab ea parte, quæ habet rationem; ei parti, quæ perturbationi subiacet. Quintò probus, Angelus, Dæmon, Genius; à uitijs ad uirtutem transfugas nos facit. Consulit enim, quæ facerè deceat, quæ declinare; ad iusta quidem adiuuans, reuocans ab iniustis. Necnon ratio pariter, ab extremis in medium, hoc est à uitijs in uirtutem; nos retrahit, iuxtà Philosophi illud. Omnis sciens; excessum uitat, atque defectum; medium autem, quærit, & eligit. Medium autem, & optimum; sunt in uirtute. Virtus enim circa, actus, & affectus, uersatur; in quibus, excessus quippe delinquit, defectus uerò reprehenditur; medium autem, probatur, ac rectè perficitur. Necnon iuxtà illud Galeni. Non, à motionibus affectibus obnoxiæ partis, sed à rationis iudicijs; regi, administrariq́; uitam nostram conuenit. Sextò; Eudæmon ipse, tum scientias, tum artes; nos edocet. Hinc enim

Arist. 1. polit.

Iambl. in de mister. 31.

Arist. 2. eth. 5.

Arist. inibi

Gal. 6. de Hip. e p. d.

Auerroes. Hominum quippe multi sunt opinati, multas artes, non ab humanis comprehensionibus acquiri, immo à Dæmonibus tradi; aliqui uerò, easdem Prophetis ab Angelis infundi, & ideo has artes maximum prophetiæ testimonium esse; affirmarunt. Hincq; pariter & Porphyrius. Boni Dæmones; ad eorum, quæ fiunt, utilitatem omnia procurant; necnon apud nos, artibus, & musicæ disciplinæ, & Medicinæ, & Gymnasticæ, atque similibus; præsunt. Pariqueformiter & ratio (quatenùs; affectuum medium; hoc est uirtutem, medij coniectatricem; adipisci nos edocet) planè, scientias, & artes; nosmet condiscere efficit, iuxtà Boëtij illud, de quo superiùs.

Auer. in l. Destr. d. 3. d. 18.

Por. 2. de ani. abst. 2.

Arist. 2. eth. 5.

Tu quoque; si uis lumine claro
Cernere uerum, Tramite recto
Carpere callem; Gaudia pelle, &c.

Boët. 3. de consol. phil.

Idest contemplatiuas scientias perdiscere si uelis; necnon, cùm actiuas artes percipere, tùm secundùm easdem agere, si percupias (nam in moribus, scire parum, operari multùm; est. uirtutisque laus omnis in actione consistit) affectuum, extrema reijce, medium amplectere; quod sanè, uirtutis, ac rationis; est. Virtutis quidem; nam omnis sciens; excessum uitat, atque defectum; medium autem, quærit, ac eligijt. Rationis uerò; cùm quidem ad optima, hoc est ad medium, quod

Arist. eth. Cic. 2. offi.

Arist. 2. eth. 5.

planè solùm optimum est, ratio ipsa nos prouocet. Præthereà; si uerum est; in malèuolam animam, hoc est, non ratione ductam, sed appetitus æstro percitam, sapientiam non intrare; profectò contrà pariter & ueritati consonum fuerit; beneuolum animum, idest, non appetitus calcaribus percitum, sed rationis freno ductum, eandem utique, & ingredi; & in eodem, cùm perdurare, tùm fructum parere. Etenim oppositarum causarum oppositi quidem sunt effectus. Vltimò; quicunque, malo reiecto Dæmone, meliori obsequitur; Deo quidem optimo maximo familiarißimus euadit; necnon quicunque, secundùm rationem, appetitu posthabito; Deo pariter amicißimus fit, tanquàm illi similis. Etenim simile; tum simili, notum, & familiare, est; tum simile appetit. His autem omnibus sic, astipulatur, & annuit; Aristoteles. Qui secundum, mentem, hoc est rationem (idem nanque sunt) operatur; & eam colit, & optimè dispositus est; amicißimus Dijs uidetur esse. Nam; si Dij curam aliquam habent humanarum rerum (ut, existimatur, & piè creditur) rationabile est eos gaudere, optimo, & cognatißimo (tale uerò huiusmodi, mens, seu ratio, est) & amantibus illam maximè, honorantibusq́;, fauere; tamquam rerum, sibi charißimarum, curatoribus; & rectè, beneq́;, agentibus. Quòd autem hæc omnia sapienti

Arist. 1. eth. 18.

Sapien. 1.

Arist. 4. meteor. 39. 41. & Gal. 3. reg. a. 8.

Gal. 8. de usu. p.

Arist. 8. eth. 2.

Arist. 10. eth. 10.

Arist. ibid.

Arist. inibi

Arist.ibid. *maximè competant; non est obscurum. Amicissimum ergo Deorum, eundemq; felicissimum, esse; decens est. Igitur & hoc modo sapiens*
Arist.inibi *erit maximè felix. Hæ igitur sint; tum boni,*
Ανακεφαλαίωσις. *Angeli, Dæmonis, ac Genij; tum rationis; analogiæ. Quò uerò ad reliquum, qui appetitus est; contrà primò; sicuti cacodæmon nun-*
Por. 2. de ani abst. 2. *quàm iuuat, ita nunquàm ex se iuuat appetitus, quàtenus utiq; rationi aduersatur. Etenim præter naturam hic est iuxtà Galeni illud quò ad, cor, ac irrascibilem eius uim. Perturbationes animæ; quæ in, ira, ac terroribus, contingunt; cor ipsum è naturali sua constitutione ex turba-*
Gal. 6. de Hip.e. p d. *re, manifestè conspiciuntur. Necnon iuxtà aliud eiusmodi; quò ad, idem, eandemq;; & concupiscibilem uim iecoris. Animi perturbatio commotio contra naturam esse à quibusdam dicitur; ut in metu, & libidine, similibusq;; apparet. Omnes enim eiusmodi, motus, & constitutiones; rationi non obtemperant, eamq; auersantur. Vnde eos, qui ita affecti sunt; irrationabiliter*
Gal. 4. de Hip.e.p.d. *ferri dicimus ob rationis auersionem. Præter naturam quidem igitur ideo appetitus existit;*
Arist. 1. eth. 18. *quòd quidem in immoderato consistat, & immoderatum omne pariter sit præter naturam. Vt talis fiat illatio.*

Quodlibet immoderatum præter naturam est.
Quilibet appetitus est immoderatus.
Quilibet igitur appetitus præter naturam est.

Validum quidem argumentum est, cùm in primæ primo uigeat. Prima autem propositio, quam recentiores maiorem uocant; ex Hippocrate eſt deprompta, omne nimium naturæ inimicum eſſe, affirmante. Hipp. in libro aphor. Hipp. 2. aph. 51. *necnon ex Galeno, eandem paßim affirmante. Gal. in libro meth. & in libro pro rhet.* Gal 4. meth. 2. & 2. prorhet. 8. *Secunda uerò ex Ariſtotele habita eſt. Præternaturam igitur cum ſit appetitus; bonum quidem nequit ex ſe operari. Nihil enim bonum, quod præter naturam eſt.* Ariſt. 1. eth. 8. *Item. Si quidem ratio (ut Philoſophus aſſerit) ad optima prouocat;* Ariſt. 7. polit. *nimirùm ad peßima prouocat appetitus.* Ariſt. 1. eth. 8. *Nam appoſitæ cauſæ oppoſitos proferunt effectus. Non igitur, aut bona molitur, aut iuuat.* Ariſt. 4. mete. 93. 41. *Secundò; cacodæmon ipſe; tum in multis mortalem naturam lædit; tum in imminentia nos pericula proripit; tum ad eorum, quæ fiunt, damnum omnia procurat, & calamitatem; tum nobis conſulit ad ea peragenda, quæ uitanda ſunt; adq; ea uitanda, quæ peragenda; tum, ad iniqua nos adiuuat, & ab æquo reuocat; appetitus itidem horum obnixè molitur ſingula.* Por. 2. de ani. abſt. 2. *Eorum nanque oppoſita dictum iam eſt commoliori rationem; cui planè in cunctis ipſe, repugnat, reſiſtit, aduerſatur, obuiat, & in contrarium fertur; appetitus. Quòd autem mortalem naturam lædat appetitus; inferiùs monſtrabitur; ubi de ægritudi-* Ariſt. 1. eth. 8.

nibus, quas ipse per sympathiam hominibus infert; sermocinabimus. Quòd in imminentia nos rapiat rerum discrimina; exemplo quidem sit lætalis illa abydeni iuuenis ad sextam puellam, inuicèm sese amantium; tranatio. De qua Franciscus ille Petrarca in triumpho Amoris, ita canit.

Leandro in mare, & Hero alla finestra.

Ouid.epist. Quòd, damnum, & calamitatum, procuret; uiolentũ illud Tarquinij, tam Lucretiã adulteriũ, quàm in semetipsum excidium. Quòd ad uitanda moneat; heleneus Paridis raptus; indeq; Troiana, Priami, Hecubæ, & Priamidum; calamitas. Quòd à peragendis dehortetur; Syphacis ob Sophonisbæ, cùm matrimonium, tùm amorem; à, Romanorum, ac Scipionis; amicitia, ac societate; recessus. Quòd ad iniqua nos adiuuet; inuidißima, ac immanißima; Romanorum in Scipionem ingratitudo. Quòd denique & ab æquo nos reuocet idem appetitus; exemplo sit indebita platonicæ ob captiui Socratis absolutionem, orationis prohibitio. Tertiò; malus idem Dæmon; à ueritate ad mendacia; à scientia ad, opinionem, & ignorantiam, aq; uirtute ad uitia, nos retrahit. Pariterq; & appetitus ipse eosdem proferre solet effectus, quemadmodùm; tùm ex iam conscriptis, & Boëtij, & aliorum, sententijs, uel facilè est elicere; tum etiam ex hac diui Hippocratis sententiola. Veritas, &

Liu.1. lib. 1. decad.

Ouid. 15. metamor.

Plutar. in Scipione.

Plutar. in eodem.

Laërt. in Plat.

Por. 2. de ani.abst.2.

ſcientia; ſcire, opinio autem ignorare; nos faciunt. Hippocrates Ideoque, eas ſapientum, hanc uulgarium, proprias eſſe; uoluit Ariſtes. Ariſt. in ethic. Quam ſententiam ſic imitatur in Triumpho Mortis Franciſcus Petrarca

Hipp. in de lege.

Ariſt. 1. eth.

Riſpoſe; mentr'al uolgo dietro uai,
Et all'oppenion ſua, cieca, & dura;
Eſſer felice non puoi tu giamai.

Quartò; quicunque ab eudæmone ad cacodemonem fiet transfuga; Deo quidem, ac probis, fiet uiris; hoſtis. Necnon pariformiter quicunq; à ratione ad appetitum trasfugerit; cùm quidem bonis hominibus, tùm optimo maximo Deo; fiet, inimicus, ac rebellis; ſi utique uerum ſit; eum, qui, ſecundùm, mentem, & rationem, operat; & eam colit; & optimè diſpoſitus eſt; Deo eſſe amiciſſimum. Quintò; ſicuti caco, genius, dæmon, angelus; animi ægritudinibus; hoc eſt, intemperantijs, amoribus; ac, diuitiarum, dominationum, uoluptatumq;, cupiditatibus; hominum incendunt animos; ita pariter & appetitus. Cùm nanque ratio ad optima, hoc eſt ad medium, prouocet; appetitus quidem ipſe contrà ad peſſima, uidelicet ad extrema; nos proripit. Rationi enim contrarius eſt appetitus; cùm quidem ei (Philoſopho teſte) repugnet, reſiſtat, in contrarium feratur, aduerſetur, & obuiet. Ab oppoſitis autem cauſiis op-

Ariſt. 10. eth. 10.

Por. 2. de ani. abſt. 2.
Ariſt. 1. eth. 18.

Ariſ. in il.

Arist. 4. meteo. 39. 41. positi solent effectus euenire. Prætereà; cùm, mens, & ratio, idem sint iuxtà eiusdem illud (mens in appetitum, ciuile, & regium; habet

Arist. 1. polit. imperium) omnis autem mens optimum sibi semper eligat; par quidem est contrà pessi-

Arist. 9. eth. 9. ma sibi deligere appetitum, ut contraria à con-

Arist. 4. meteo. 39. 41. trarijs appetantur potentijs. Quòd autem, intemperantijs, animæ affectibus, ac pessimis omnibus, appetitus obnoxius sit; hisce uerbis affirmauit Aristoteles. Voluptatum appetitus, insatiabilis est, stultoq; undiq; affluit. & executio libidinis innatam cupiditatem exauget. Quin etiam; si, magnæ uoluptates ipsæ, & uehementes, sint; mentem à suo statu dimouent. Quam obrem, mediocres illas, rarasq;, esse oportet;

Arist. 3. eth. 15. tales denique, ut rationi non aduersentur. Vltimò, quemadmodùm idem Caco, dæmon, angelus, genius; animales ægritudines, corporeos

Iob. 2. & Por. 2. de ani. abst. 2. morbos, ac mortem; nobis ingerit; itidem quidem & appetitus. Hæc autem utraque sic commonstrantur. Anima, & corpus; taliter utiq; sunt inter se inuicèm, cohærentia, & colligata; ut, & illam hoc, & hoc illa; coafficiant. Asseruit autem hoc hisce planè uerbis quodam loco Philosophus. Simul, mente, & corpore; laborare non oportet, cùm se inuicèm impedire sint nata, labor quidem corporis mentem,

Arist. 8. polit. mentis autem corpus. Item alibi. Anima, & corpus; inuicèm compatiuntur. Nam, animæ

habitus alteratus ſimul alterat corporis formam, & iterum corporis forma alterata ſimul alterat animæ habitum. Cum itaque tàm corporea, quàm animalis; & ſanitas ſit naturalis temperies, & ægritudo præternaturalis intemperies (nam oppoſitorum, effectuum, ac definitorum; oppoſitæ quidem ſunt, cauſæ, & definitiones) utique, hominis, uel (exempli gratia, cuius, non uerificatio, ſed manifeſtatio; rei quæritur) corpus eſt ſalubre, & affecta eſt anima, ut olim, in L. illo catilina, quotidieq́; in plurimis eſt militibus, concernere; uel contrà, ſalubris anima, & afflictum corpus; ueluti in Socrate, & Catone, ægrotantibus, eodem tamen à mane ad ueſperas ſe uultu ſemper habentibus; uel, tàm corpus, quàm anima, inſalubria; quemadmodùm in phreniticis, & melancholicis, eſt conſpicere; uel deniq́;, tam corpus, quàm anima, ſanitate fruuntur, ſicuti olim ex antiquioribus in Hercule, & Achille; inq́ue, Platone, & Scipione; ſecundùm naturam, intus, & incute; ſeſe habentibus. Ni fortaſſe quiſpiam affirmet; non poſſe; uel ſalubrem eſſe animam, inſalubri exiſtente corpore; uel contrà exquiſitè ſanum corpus, inſana anima; cùm quidem (ut ſuperiùs iam dictum eſt) ſeſe inuicèm impedire ſint nata; morboſum corpus animam, & attecta anima corpus. Siquidem igitur; & afflicta iam, tum appetitu, tum affectuum immodico, tum deſi-

Ariſt. in phyſion. 8.

Gal. 4. aph. 39. al.

Ariſt. 7. meta. 39.

Auer. 2. de anim. 67. 156.

Ariſt. 8. polit.

pientia, ſit anima; & ſanum ſit ab initio corpus; utique illius affectus huius ſanitatem, intemperie, & morbo, interdum inficit, interdum uitam morte afficit. Intemperie quidem; iuxtà Galeni illud. Lætis, diffunditur per uniuerſum corpus calor, atque plus foras eius motus fertur. Item. Triſtitia, corpus refrigerat, & calorem intrò concitat. Itidem. Perturbationes animæ; quæ in ira, ac terroribus, contingunt; cor ipſum è naturali ſua constitutione exturbare manifeſtè interim conſpiciuntur. Item. Timores omnes, & cum his maximæ uoluptates; etſi non iugulant; at certè, facilè reſolubilem, infirmumq́;, ſpiritum reddunt. Morbo autem ſic eodem habente. Multi præ mœrore, ſcilicèt immodico, ægrotauerunt. Nulla enim eſt tam uehemens corporis paßio, ut affectiones animæ uincat. Morte uerò iuxta Philoſophi illud. Dolor, diſtrahit, atque corrumpit; naturam habentis. Necnon iuxtà Galeni hæc; quorum unum tale eſt. Triſtitia, ac timor; ſi uehementes ſint, uitalem, facultatem breui diſſoluunt tempore; ſin imbecilles, longo. Aliud autem tale exiſtit. Ipſius, uitalis, ſpiritus eſſentiæ corruptio, & quæ futura timetur, & quæ iam adeſt; tum quidem ex affectu animi incidit, tum ex ingenti dolore. Sunt porrò affectus animi; timor, ſubitus, ac uehemens, quem ἔκπληξιν Græci uocant; prætereà, quæ contraria huic

Gal. 4. de cauſ. pulſ 3

Gal ibid 4

Gal. 6. de Hip. e p. d.

Gal. 12. meth. 5.

Gal in. de paru. p. e.

Ariſt. 3. eth. 15.

Gal. 4. de cauſ. p. 5.

timori est, uoluptas maxima. Græci περιχάρειαν dicunt, quasi excessum gaudij dixeris. Scimus enim; amborum occasione perijsse quosdam. Tristitia uerò, & anxietas, & ira, & cura; uires resoluunt. Hæc omnia Gal. Si autem contrà ab initio; sana sit anima; & affectum sit, uel intemperie, uel malis humoribus, uel prauo habitu, uel morbo, corpus; sensim quippe & sanam animam ipsam corpus affligit (etsi; quòd animam corpus lædat, ab experientia discere liceat; quomodò autem eam lædat, inuentu sit per difficile) Intemperie quidem iuxtà Galeni illud. Comici Hippocratis filios, Draconem, ac Thessalum; ob immodicum calorem stultitiæ mordent, licèt fortè nequàquam hi à fatuitate forent uituperandi. Item. Necesse est; animæ, temperiem, uel intemperiem; corporis, temperiem, uel intemperiem, sequi; necnon corporis animæ. Malis autem humoribus eodem sic habente. Plato, in uitia quædam corporis incidere animam ex malis corporis humoribus, confessus est. Item. Plato, ex uitioso corporis humore animam lædi, uoluit. Itidem. Accidit quidem ex humoris uitio dementia. Item. Siquis dixerit, humores corporis mutatos animæ actionem immutare, ut animæ actio mutata mutat eosdem; non mentietur. Prauo habitu iuxtà illud. Plato utique, morbo conflictari animam ex prauo corporis habi-

Gal. 12. meth. 5.
Gal. ibid.
Gal. 2. de loc. a.
Gal. in lib. quòd a. m. c. t. s.
Gal. inibi.
Gal. in de incant. a. e. s.
Gal. ubi supr.
Gal. ibid.
Gal. 13. meth d. 3. t. 16.
Gal. in de incant. a. e. s.

Gal. in lib. quòd a. m. c. t. s.
Gal. ubi supr.
Gal. inibi.
Arist. 8. polit.
Arist. in Physion. 8.
Gal. in de incant. a. e. s.
Gal. 1. de san. t.
Gal. in de opt. c. c.

tu, pronunciauit. Item. Nemo spontè malus est; sed ob, prauum corporis habitum, rudemq́; educationem; fit malus. Morbò uerò eodem sic dicente. Porrò, à corporis morbis uim animæ afferri; luce clarius in melancholijs, phreniti-dibus, & furoribus; apparet. Si etiam, & anima, & corpus, insalubria fuerint; profectò, tum anima corpus, tum corpus animam; sese inuicèm coafficiunt, sic dicente Philosopho. Simul, mente, & corpore; laborare non oportet, cùm se inuicèm impedire sint nata, labor quidem corporis mentem, mentis autem corpus. Item. Anima, & corpus; inuicèm compatiuntur. Nam, & animæ habitus alteratus simul alterat corporis formam, & corporis forma alterata simul alterat animæ habitum. Si uerò tàm corpus, quàm anima, salubriter sese habeant; profectò aliter, dicendum, ac determinandum; erit. Nam; si animæ uirtus æqualiter attemperata sit; corporis utique pariter actio perfecta erit. Necnon contrà, si corporis, & animæ. Nam; qui optimo corporis habitu sunt; porrò his animi quoque mores citrà uitium esse, par est. Quodq́;, moderatè, exacteq́;, constitutum corpus, ac proinde succi probatissimi, existit; faciliùs quàm cætera corpora, iram, tristitiam, curas, ac reliquas id genus animi perturbationes; substinet. Quemadmodùm contrà; quod, immoderatè, inexacteq́;,

compa-

compactum est, ac uitiosi proindè succi existit; prædictis quidem uel facilè causis succumbit, tanquàm per seipsum proximè ad morbos accedat. Quamobrem inficias ire haud possumus; neque corpus animam, neque animam corpus; malè, sed bene, potiùs (ut ita dicam) afficere. Sicuti nanque aër Sole; ita corpus, anima, hoc est animali ipsa uirtute; illuminatur. Cùm enim temperata anima symmetro sit corpori non absimilis; utique par est, neque in talem animam eiusmodi corpus, neque in tale corpus huiusmodi animam; malè agere, sed illam quidem ab hoc, contraq; hoc ab illa; potiùs optimè conseruari. Seruatur enim (ut Galenus affirmat) similibus unumquodq;, & alteratur contrarijs. Sicuti igitur; sana, perturbationibusq;, & immoderatis affectibus, anima uacua, salubreque, & morbis uacuum, corpus, inuicèm sese in communi salubritate; sic contrà & insana anima, ac insalubre corpus; sese in communi insalubritate conseruant. Siue igitur corpus anima, siue animam corpus afficiat; appetitus quidem ipse, tàm animæ, affectus; quàm corpori, interim morbos, interim mortem; certißimè infert. Sanitatis itaque rationem, ægritudinis appetitum, causas esse; nec non, bono rationem, malo appetitum; Angelo, Dæmoni, Genio, similes existere; Sole quidem iam sit etiam cernere nolentibus clarius;

Gal. ibid.

Gal. in de sperm. 12.

Gal. 1. de san. t.

nullosq́; , uel probos , uel imbrobos ; Genios , Angelos , Dæmonas ; præter , rationem, & appetitum ; morales nosse Philosophos.

PROBLEMATIS I. LIBER V.

DAEMONES AN SINT, Et an morborum ſint cauſæ, pro Dogmaticorum Medicorum opinione.



EDICIS, *Dæmones, an ſint, & an morborum ſint cauſæ, diſquirere tandem, ac uenari, ſi in præſentia uelimus ; par quidem , operæq́ue precium , fuerit; ſub qua'nam , iam conſcriptarum , ſcientiarum Medicina contineatur , hîc expiſcari . Quamobrem ſcientia ipſa denuò uenit hîc diſtinguenda in contemplatiuam ; ſub qua naturalis ipſa Philoſophia recubat; actiuam, ſub qua , Philoſophia moralis , ſeu Medicina animalium affectuum ; & factiuam , ſub qua Philoſophia morbalis, ſeu Medicina corporeorũ morborum . Præterea diſquirendum pariter fuerit, quæ'nam harum trium ſcientiæ ſpecierum alteri ſubijciatur ; ut quicquid à ſuperioris, ſeu ſubalternantis , quàm recentiores uocant , ſubie-*

cto scientiæ, remotum, & alienum, est; ab inferioris, ac subalternatæ, subiecto remotum esse, sciri facilè poßit. Scientiæ igitur omnes (ut Gal. inquit) adeò quidem omnes inter sese inuicèm connexæ sunt, ut ex unico fune reuinctæ esse uideantur. Quocirca par interdum est earum quidem aliam alia, priorem, ac uniuersaliorem; esse. Supranaturalis, quam Μεταφυσικὴν *Græci nominant, scientia; planè est scientiarum omnium, principalißima, & uniuersalißima; ideoque prima Philosophia dicitur. Monstratur autem ex his, quæ paßim conscripsere Peripatetici. Nam ideo sanè, prima, atque scientijs omnibus communis, ea uocatur; quòd Auerroe teste reliquarum omnium, principia, subiectaq;, uerificet, ac tueatur. Hinc enim quodam loco, nominatus iamiam, Philosophus. Primi Philosophi, necnon Dialectici; contra negantes principia est disputare. Item alibi. Contra negantes scientiarum princia disceptare, primus, seu diuinus, Philosophus debet; qui particularium, facultatum, seu disciplinarum; subiecta, uerificat, ac defendit. Itidem alio loco. Disceptare contra negantes principia, illius quidem scientiæ est, quæ scientijs omnibus est communis; hoc est Metaphysicæ. Præter hæc alio quodam loco. Primus Philosophus debet omnium uerba sophistarum destruere; quorum sapientia est, & prima negare*

Gal. in lib. si quis o. m. s. e. e. & P.

Auerr. 8. phy. 22. & 3. cæl. 4. c.

Idem. 1. phy. 8.

Idem. 8. phys. 22.

Auer. 3. cæl. 4.

Auerr. 1. phys. 8.

Auerr. 1. cæl. 78. principia, & sapientiam destruere. Eiusdem præterea, uniuersalitatis, ac primitatis, signa sint; tum uniuersalem omnium causarum, quà causæ sunt, considerationem Metaphysicæ esse *Auerr. 2. meta. 6.* scientiæ; tum etiam demonstrationes; quò uniuersaliores sunt, eò Metaphysicæ ipsi propriores esse scientiæ. *Auer. ibid.* Post Metaphysicen autem ordine naturalis ipsa scientia; quam φυσικήν iidem nominant; subsequitur (cuius signum sit; secundam Philosophiam, primæ illius respectu, *Arist. & Auerr. 7. meta. 39.* à Peripateticis hanc appellari) Cùm nanque illius, uel totius, uel saltèm partis, subiectum *Auerr. 12. meta. 1. 29 & 6. meta. 1. & 4. meta. 1 5. Iand. 1. phy. 2. quæ.* sit ens, quàtenus ens; profectò subiectum huius erit ens, quà mobile. Cùm enim motus sit principalior, in naturali ipsa scientia considerata, passio; sanè illud, per quod ipse, tanquàm per subiectum, definitur; eius esse subiectum uidetur. Motus autem definitur per ens mobile. *Arist. 3. phy. 6. & Iand. ubi sup.* Præterea à naturali ipso Philosopho naturalia considerantur (ab his nanque illius est denominatio) Quæ autem, naturalia, seu natura, sunt; aut *Arist. 1. phys. 11. Auerr. 3. phys. 6.* quidem omnia, aut quædam; mouentur. Est nanque motæ rei motus perfectio. Immo clarum est, tum ablato motu naturam auferri; tum *Arist. 3. phy. 1. & Aue. 1. ph. 8. 11. & 2. phys 71. & 8. phys. 22. 23.* ignorato motu eandem ignorari. Hinc enim Aristoteles ipse. Tenetur Physicus omnino considerare quæcunque mota mouent. Quæcunque autem non; non ampliùs physicæ, considerationis sunt; non enim in seipsis habentia motum,

neque principia motus mouent, ſed immobilia ſunt. Vnde tria ſunt negocia, hæc quidem circaimmobile, alia autem circa mobile quidem incorruptibile, quædam uerò circa mobilia corruptibilia. Ac ſi dixiſſet Philoſophus. Entium; alia ſunt immobilia; ueluti, ſubſtantiæ abſtractæ, quæ à Metaphyſico conſiderantur; alia mobilia incorruptibilia, ut cœleſtia corpora, ab illiusmodi ſubſtantijs commota; quæ à Phyſico; alia uerò mobilia corruptibilia, quemadmodùm, elementa, ac elementata; quæ à naturali itidem conſiderantur Philoſopho. Præter hæc & Auerroes. In omni; quod, cùm mouet, mouetur; quatuor quæruntur cauſæ, cùm quidem ex naturali ſcientia ſit. Quod autem, mouet, ſed non mouetur; nec ex alio eſt, mouens, & non motum; eſt planè forma, à materia abſtracta. Quas ob res ſole clarius hoc iam patere uidetur; omnium quippe maximam motum habere cum naturali, iam dicto, ente; ideſt, mouente, uel moto; connexionem. Vt indè quidem uelfacillimè elici queat; ens mobile (ut dictum ſuperiùs eſt) naturalis ipſius eſſe ſcientiæ ſubiectum; etſi id genus ſcientiæ ſubiectum corpus mobile exiſtere, cùm magnus Albertus, tùm maximus Auerroes, unà conſenſerint. Ad ſummam; cùm ens, quàtenus ens, primæ ſit Philoſophiæ, aut totius, aut ſaltèm prioris partis, ſubiectum (nam poſterioris abſtractæ quidem

Ariſt. 2. phyſ. 71.

Aue. inibi.

Albert. in epitom. phy. 1. cap. Auerr. 12. meta. 5.

Auer. ipsæ substantiæ subiectum sunt) profectò secundæ Philosophiæ; quæ, physica est; & , μεγακόσμον, seu magnum mundum, considerat; subiectum; erit ens mobile, corpus'ue mobile. Post Physicen uerò tertia quidem ordine sequi Philosophia uidetur, quam ἰατρικὴν Græci uocant. Huius uerò subiectum (quòd planè, μικροκόσμον, siue paruum mundum, qualis homo est, consideret; affectibus, uel præsentibus afflictum, uel futuris obnoxium) fuerit utique, ens, corpus'ue; aut motum à præsenti, aut mobile à futuro; tam animali affectu, quam corporeo morbo. Vt,

Auerr. in lib. dest. d. 3 d. 12.

cùm homo ex, anima constet, ac corpore; nec non anima proprijs affectibus obnoxia, corpusq; suis itidem morbis subditum, sit; primò sanè duplex sit Medicina; altera quidem animalis; cuius subiectum sit, ens, & motum à præsentibus, & mobile à futuris, animæ affectibus; quales (ut superiùs dictum est) gaudium, spes, dolor, timor; ac reliqui, his respondentes sunt; quorum utique; illorum præseruatiua, horum curatiua est Medicina; Altera uerò corpora, cuius subiectum sit, ens, corpus'ue; tum pariter à præsentibus iam motum, tum à futuris iamiam mobile, corporis morbis; quales sunt; & febris triplex, ephemera, putrida, hectica; & continui solutio, abscessus, uulnus, ulcus; quorum, itidem duplex est; tàm præsentium curatiua, quàm imminentium præ-

seruatiua; Medicina. Secundò, autem & duo existant, geminis hisce Medicinis respondentes, Medici; unus animam ipsam, uel actu nunc affectam serenans, uel afficiendam præmulcens; quales sunt; tum sacri Theologi ueluti; Ioannes, Marcus, Lucas, Matthæus; Paulus, Gregorius, Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, aliiq; similes; tum morales Philosophi, sicuti; Aristoteles in moralibus, Cicero in officiis, amicitia, ac senectute; Boëthus, siue (ut recentiores eum nominant) Boetius, in de consolatione philosophica; Galenus, in de, cognoscendis, curandisq;, animi morbis; inque de cuiusq; animi peccatorum, notitia, atque medela; tum denique & Poetæ (hi enim, Horatio teste, aut prodesse uolunt, aut delectare) quales; inter epopeicos, Homerus, Vergilius, Dantes; inter comicos (etenim, mœrorem ingerentes, Tragicos sponte reiicio) Aristophanes, Plautus, Boccaccius; Interque, Dithyrambicos, seu lyricos; Pindarus, Horatius, Petrarca. His demum adde & Ouidium in de Amoris remedio, & eundem Petrarcam in de remedio utriusque, tam bonæ, quàm malæ; Fortunæ. Atque id genus alios cùm latinos tùm græcos; epopeicos comicos, & dithyrambicos. Alius uerò medicus corpus, uel actu nunc agrotum curat; uel potentia ægrotum, hoc est ægrotaturum; præseruat. Eiuscemodi planè Medici sint, Theo-

Gal. 1. de sanit. t. & 4. meth. 3. & 13. met. d. 1. t. 2. & 2. met. 22.

Horat. in poet.

logis compar, Dogmaticorum Imperator cous Hippocrates; moralibus Philoſophis analogus, Methodicorum Rex, Themiſon laodiceus; ac Poëtis non abſimilis, Empiricorum Princeps, Philinus cous. Vt in ſumma cuilibet, eſſentiali (quam dicunt) hominis parti, propriæ ſint ægritudines, proprius medicus, propria medicina, ac proprium ſubiectum. Cui ſententiæ belliſsimè quidem annuit Galenus; affirmans, Medico de corporis, Philoſopho, uidelicet morali, de animæ; paſsionibus, & loqui, & ſuam doctrinam inſtituere; conueniens eſſe. Medicus itaque, tam animalis, quàm corporeus; propria quidem à naturali Philoſopho ſubiecta depromit. Vt uerà ſanè protulerit, ueritatis, indagator, Ariſtoteles, affirmans, Phyſicorum plurimos, & Medicorum, qui magis phyſicè medicam, artem proſequuntur; illos quidem finire ad ea, quæ de medicina; hos uerò ex his, quæ de natura, incipere de medicina. Quam ſententiam enodans Diuus expoſitor, hæc habet. Ad naturalem Philoſophum pertinet inuenire, prima, & uniuerſalia, ſanitatis, & ægritudinis; principia. Particularia autem principia conſiderare pertinet ad Medicum, qui artifex eſt, ſanitatis factiuus. Item. Neceſſe eſt; ut Medicus à naturali, Philoſopho, tanquàm à principaliori, ſuæ ſcientiæ principia capiat; ſicuti nauis gubernator ab

Gal. 6. de Hip.e.p.d.

Ariſt. in de ſenſu. c. 5. cap. 1.

Thom. inibi

Astrologo. Hæc autem, & breuiùs, & clariùs, exponentes recentiorer, Philosophi, & Medici, inquiunt. Vbi Philosophus desinit, ibi Medicus incipit. Cæterùm in hoc quidem hi inuicèm differunt; quòd, corporis Medicus ex, physicorum, uel de animalibus, libro proprium subiectum depromit; cuius (ut monstratum iam est) subiectum, ens, corpus'ue; mobile existit; Medicus autem animæ ex libro de anima proprium assumit. Cùm nanque eius subiectum sit anima; quæ quidem; & primus actus est corporis, physici, potentia uitam habentis; &, tum mobilis est (quanquàm ex accidenti; nam omne; quod mouetur, quia est in moto, mouetur ex accidenti) tum motus est causa; subiectum quidem huius erit anima, à præsentibus mota, aq; futuris mobilis; affectibus. Secunda itaque Philosophia, quæ physica est; primæ quidem (modo dicto) quæ Metaphysica nominatur; est Philosophiæ quodammodò subdita siue (ut ita loquar) subalternata. Necnon Philosophia tertia, quæ, & corporis, & animæ, Medicina dicitur (seu corpus, seu animam; illud à morbis, hanc ab affectibus; uindicet) secundæ quidem est, subalternata, suppositaque; Philosophiæ. Si igitur eiusmodi, tertia, seu medicinalis, Philosophia; immediatè secundæ, seu naturali; mediateq;, primæ, siue supranaturali, Philosophijs est subdita; quarum

Thom. ibid.

Iand. 1. ph. 2. quæst.
Auerr. 12. met. 5.
Auer.
Arist. 2. de anim. 6.

Auerr. 8. phys 51.
Auer.

nulla (monstratum iam ut superiùs est) uel Dæmonas esse; uel, affectuum, morborum'ue, causas eosdem existere, opinatur, nedum demonstret; quo'nam igitur pacto horum, uel utrumlibet, uel alterutrum; concedet Medicus? Præsertim autem; cùm morborum, tàm externas, quàm internas; causas paßim disquirentes primi rei medicæ Duces, Hippocrates, & Galenus; à sensibilibus quidem (ut monstrabitur) non ab insensibilibus, quales sunt Dæmones; eas perpetuò, & uenati, & expiscati; & aucupati, bellißimè fuerint; nullam unquàm, uel minimam facientes de Dæmonibus ipsis mentiunculam iuxtà Galeni illud. Cùm planè; & causarum, morbos facientium, abolitio fiat à contrarijs (etenim contraria contrariorum sunt medicamina) & pro diuersis morborum causis eorum uarientur medicationes; profectò, si ex refrigeratione morbus fiat, curatio est per calefactionem, si uerò ex calefactione, per refrigerationem; sic &, si propter repletionem morbus constituatur, oportet multitudinem euacuare, sicuti &, si propter euacuationem, reficere protinus corpus. Item. Tres sunt in corre præternaturam affectus, causæ, morbi, symptomata. Causæ; ueluti, redundantia, πληθώραν uocant, uel corruptela, κακοχυμίαν dicunt, Morbi, ut, phlegmone, ulcus; symptomata, ut, malus color, & gracilitas. Penè autem

Gal. 2. aph. 22.
Hipp. in de flat. et Gal. 11. met. 12
Gal in. de ren. a. d. e. m.
Gal. 2. aph. 22.
Gal. 2. meth. 3.
Gal. ibid.

innumerabiles quàmuis ſint, quas equidem in finem hunc congerere huc poſſem Galeni ſententias; pauculis tamen hiſce in præſentia contentus ſum; alias id genus plurimas, cùm de proprijs morborum cauſis eloquar, congeſturus. Prætereà; cùm (ut Galenus affirmat) neque controuerſia de morbo defendi, neque morbus ipſe corrigi, ab eo poßit, qui ipſius cauſam ignoret; qui enim efficientem cauſam re uera deprehenderit; is demum ſolus, tum offenſionis differentiam, tum curandi modum, cognoſcet; quo'nam pacto dæmonica morbi cauſa ſuppoſita, aut curandi eum modus cognoſci, au is corrigi, à Medico, etiam dogmatico, ſeu rationali; poterit? Cùmq; & medicatio per contraria fieri debeat (perit enim quidq;, in contrarium, & à contrario) quæ'nam ſanguinis mißio, quæ concoquentia, quæ purgantia pharmaca, quæ localia; uel alia medicinalia id genus remedia fuerint, uel Dæmoni ipſi, uel dæmonico eius morbo, contraria; cùm quidem (ut fusè monſtratum ſuperius eſt) Dæmones ipſi ſubſtantiæ ſint, ſubſtantiæ autem nihil Ariſtoteli ſit contrarium. Vt equidem (ſuppoſito, ſiquis optimus Medicus ſit, eundem eſſe Philoſophum) nullum, præter; tum elementorum; tum humorum; tum, ſimilarium, ac inſtrumentalium, partium; aut ſymmetrian, aut ametrian; uel eudæmonem, uel cacodæmonem, eſſe; exiſtimare, quà medicus,

Gal. in de cauſ. reſpi.

Gal. 8. met. 1.

Gal. 3. met. 3.

Ariſt. in Subſt.

Gal. in lib. 51. quis o. m. ſ. e. e. p.

ualeam. Est autem; συμμετρία proportio, seu modestia, se moderatio; αμετρία uerò contrà, improportio, immodestia, immoderatio; idest à iusto modo declinatio; quarum quidem, illa sanitatis, hæc ægritudinis; existunt causæ. Hæc autem sic commostrantur. Humanum corpus ex quatuor compactum est, tum (ut, à nobis notioribus, ad naturæ notiora; progressus fiat) ex partibus; &, compositis, siue instrumentarijs; &, simplicibus, seu similaribus; tum ex quatuor, & humoribus, & elementis. Ex partibus, instrumentarijs, seu compositis; hoc est, quò ad extima, ex, capite, brachio, manu, digito; pectore, uentre, crure, pede; quò uerò ad intima ex, cerebro, corde, iecinore, uisceribus. Ex partibus, similaribus, seu simplicibus; quæ πρωτόγονα appellare Plato consueuit; idest ex quibus organicæ ipsæ sunt partes compositæ; quæque, & omnes partes, sibi mutuò, totiq;, similes, habent; & in similes undiq; diuiduntur particulas; & eandem inuicèm, haudq; dubiè, simplicem, sensuiq; apparentem, retinent formam; quales sunt, chartilago, os, neruus, membrana, colligatio, uena, arteria, ac id genus reliquæ. Ex quatuor humoribus; uidelicet ex quibus ipsæ sunt similares partes compositæ, quales sunt melancholia, pituita, sanguis, & bilis. Ex quatuor elementis; ueluti, ex terra, aqua, aëre, &

Gal. in de opt. c. c.

Arist. 1. phy. 2.

Gal. 8. de Hip. e. p.d.
Gal. 1. de hum. n. 1.
Gal. 1. de elem.
Gal. ibid.
Gal. 1. met. 6.
Gal 1. de elem.
Gal. in de opt. n. c. c.
Gal. 8. de Hip. e. p.d.
Gal. in introd. cap. 9.

igne; uel planè, ex quibus quatuor ipsi humores constant; uel, quibus illi proportionales sunt. Nam terræ analoga est melancholia; quòd utraque, frigida, siccaq;, sit; aquæ pituita ob communem, frigiditatem, & humiditatem; aeri sanguis; uterque enim, calidus existit, atque humidus; igni uerò bilis, etenim, illi propriam, caliditatem, & siccitatem; hæc retinet. Etsi autem; non, calidum, & humidum, sed temperatum, debere sanguinem dici Galenus enunciauit; sciendum tamen est, secundùm, opinionem, non ueritatem; me hîc locutum esse. Nam, alia secundũ ueritatẽ, alia secundùm opinionẽ; turpia, pulchra, falsa, ueraq; Aristoteli sunt. Quòd quidem, & symmetria sanitatis, & ametria ægritudinum, existant causæ; sic planè Galenus affirmat. Cùm sanitas moderantia quædam sit; necesse est omnes immoderantias, quæ plurimùm à modo recesserunt, iam ægritudines esse. Item. Sanitas symmetria quædam est; ægritudo igitur ametria. Nam oppositorum eadem est scientia. Quòd autem elementorum & symmetria sanitatem pariat; sic pluribus asserit in locis Galenus. Sanitas constat ex symmetria quatuor elementorum. Item. Vbi, calidum, frigidum, siccum, & humidum, sunt mutuò temperata; salubriter degit animans. Itidem. Omnium, Medicorum, pariter & Philosophorum, qui planè Dogmatici sunt; consensu, sa-

Gal. 1. de elem.
Gal. 8. de Hip. e. p.d.
Gal in introd. cap. 9.
Gal. 1. de elem.
Gal. 1. de nat. h. 35.
Gal. 1. de hum. n 35.
Aris. 4 eth.
Arist. 2. de gener. 23.
Gal. 2. aph. 4.
Gal. 1. de sanit. t.
Arist. 5. eth. 1. & Auerr. 3. meta. 3.
Gal. 1. epi. 76. 4. 2. cõ. 8. part. & 1. de san. t.
Gal. in de

hum. n. 1. nitatem efficit elementorum iusta moderatio.
com 8 par. Præterea. Sanitas est commoda quatuor ele-
Gal. inibi. mentorum temperatura; constat nanque animal
Gal. in de ex, calido, frigido, humido, sicco. Vel sa-
fin. m. nitas est, harmonia, seu concinnitas; consti-
tuentium hominem, calidorum, frigidorum, hu-
Gal. ibid. midorum, & siccorum. Quòd, eorundem, & symmetria sanitatis, & ametria ægritudinum, causæ sint; his uerbis affirmat Galenus. Primis quatuor elementis inuicèm, moderatè confusis, sanum est animal, immoderatè uerò, ægrotum.
Gal. inibi Item. Si quidem ex temperantia, calidi, fri-
gidi, humidi, sicci, sanitas pendet; ex eius
Gal. ubi contrario necessariò ægrotare continget. Ho-
sup. rum autem ratio sit; quòd æquabilis ex omnibus quatuor elementis temperatura exquisitum san-
Gal. 8. de guinem creet; quodq́;, exquisitus, ac tempera-
Hip. e.p.d. tus, ipse sanguis (ni quantitate peccet) sanitatem generet iuxtà Galeni illud. Probatissimis succi corpus faciliùs quàm cætera corpora, iram, tristitiam, uigilias, curas, imbrem, squallorem, pestilentiam, atque (ut paucis rem complectar) uniuersas morborum causas; substinebit. Sed, quæ uitiosi sunt succi; prædictis à nobis, causis facilè succumbent, tanquàm perse ipsa proximè ad morbos accedant. Quòd au-
Gal. in de tem ex humorum symmetria sanitas resultet;
opt n. c. c. sic asserit Galenus. Corpus hominis ualet maximè; cùm moderati inter se quatuor humores,

tum facultate, tum multitudine, & commiſti; optimè fuerint. Item. Sanitas eſt primorum humorum, qui ſecundùm naturam in nobis ſunt; proba temperies. Quòd eorundem humorum, & ſymmetria ſanitatis, & ametria morborum, cauſæ exiſtant; ita Galenus annuit. Corpus hominis; habet in ſe; ſanguinem, & pituitam; & bilem, tam flauam, quàm atram, ex quibus natura corporis eius conſtat; & propterea, ualet, ac dolet. Valet maximè; cùm hæc inter ſe, cùm facultate, tùm multitudine, moderata, & miſta; optimè fuerint. Dolet; cùm aliquid ex his, plus, uel minùs, ſeparatum in corpore fuerit, nec bene cum omnibus confuſum extiterit. Quòd uerò ex partium, & ſimilarium, & inſtrumentalium, ſymmetria ſanitas itidem reſultet; his planè uerbis aſtipulatus eſt Galenus. Moderata, calidi, frigidi, humidi, ac ſicci, temperatio; partium noſtri corporis ſimilarium ſanitas exiſtit. Compoſitarum uerò ex ſimilarium ipſarum conformatione; quæ, ſitu, magnitudine, figura, & numero; conſtat. Item. Ea quidem eſt optima corporis conſtitutio; cuius, tum partes ſimilares (ſic enim haud dubiè, quæ ſenſui ſimplicia apparent, appellamus) propriam temperiem ſortiuntur; tum, quæ ex ijs inſtrumentariæ partes conſtant, magnitudine, numero, formatione, ordineq́; , inter ſe moderatiſsimè ſint conſtitutæ. Itidem. Optima cor-

Gal. 8. de Hip.e.p.d.

Gal. in de ſin. m.

Gal. 8. de Hip.e.p.d.

Gal. in de opt. n. c. c.

Gal. ibid.

poris constitutio in bona, similarium partium temperie, & officialium symmetria; collocanda est. Alio prætereà loco. Similarium partium sanitas est, calidi, frigidi, humidi, & sicci; symmetria, idest conuenientia inter se quædam. Sanitas uerò instrumentalium ex similarium ipsarum, compositione, numero, magnitudine, & figura; constat. Quòd ex earundem, & similarium, & organicarum, ametria resultet morbus; eò patet, quòd ex oppositis caussis oppositi quidem (ut Philosophus inquit) effectus proueniant. Tametsi autem; & elementorum; & humorum; &, simplicium, compositarumq; partium; symmetriam sanitatem, & ametriam ægritudinem, esse; Galenus affirmat; tamen similarium ipsarum partium tantùm, absolutè, simpliciterq;, & propriè; tum symmetria sanitas, tum ametria morbus, est, non reliquorum; iuxtà Galeni illud. Primùm pro hypothesi præsumptum esto; sanitatem, non esse absolutè, elementorum, humorum'ue, ex quibus constamus; aut medium temperamentum, quam εὐκρασίαν uocant; aut debitam conuenientiam, quam συμμετρίαν appellant (quemadmodùm omnibus ferè, qui ante nos conscripserunt, uisum est) sed eam dumtaxàt, quæ similarium partium est; ut alibi demonstrauimus. Etenim compositarum sanitas partium simplicium sanè referenda uenit accepta partium sanitati, sic eo-
dem

Gal. ubi sup.

Gal. 1. de sanit. t.

Arist. 4. me teo. 39. 41.

Gal. 1. de san f.

dem inibi ſubdente. Secundo loco illud quoque (quod alibi non minùs demonſtrauimus) præſumptum pro hypotheſi eſto; nempe inſtrumentalium ſanitatem in figura, numero, magnitudine, compoſitioneque, ſimilarium conſiſtere. Horum uerò, cauſam, rationemq; (uidelicèt; cur, ſymmetria ſanitatem, & ametria morbum; pariat) ex ipſomet Galeno talem depromito. Quicquid rectum eſt; non in animalibus modò, plantis'ue, ſed etiam in alijs quibusque; id, ſymmetron eſt, mediumq;, & uitioſi omnis exceſſus expers. Cui enim, nec demere quicquam, nec adijcere, non partem aliquam, non qualitatem, poßis; prorſus id rectè ſe habet. Contrà; quod, demi ſibi aliquid, adijci'ue, poſtulat; id iam ab optimo ſtatu receßit. Item. Conſtans omnium confeßione principium eſt; id, quod, naturale, ſeù potiùs ſecundùm naturam, eſt; moderatum eſſe, non in animalibus ſolùm; ſed in plantis, & ſeminibus, & omnium organo. Quod uerò, non, naturale, ſiue potiùs ſecundùm naturam, ſed præter naturam, exiſtit; eſſe immoderatum. Erit igitur, ſanitas moderatio quædam; morbus autem immoderatio. His præterea & hiſce aſtipulatus eſt ſententijs Auerroes. Completum eſt id, cui non poteſt additio fieri. Item. Perfectum eſt id, quod diminutionem non patitur. Itidem. Perfectum eſt id, à quo bonita-

Gal. ubi ſup.

Gal. 4. meth. 2.

Gal. in de differ. m.

Auerr. 8. phy. 75.

Auerr. 1. cæl. 4.

tis eſt nihil diminutum, & quo nihil in eodem genere eſt nobilius, immo ex ſe ſummè eſt nobile. Impoßibile nanque eſt, diminutum perfectum eſſe. Diminutum autem, neque in quantitate, neque in qualitate; eſſe poteſt. Nam ſubiecti perfectio eſt tantùm in, magnitudine, ſeu quantitate; & qualitate. Eorundem prætereà & tres ratiunculæ ſint, à ſimili habitæ. Prima quidem ſit talis. Corporis, tum ualetudo, tum morbi; eandem quidem habent (ut monſtratum iam eſt) cum animæ, ſanitate, & affectibus, analogiam, ſeu proportionem, ac ſimilitudinem. In, ethicis igitur, ſeu moralibus, ac uoluntarijs, quæ ſolius animæ, tàm illam, quàm hos, conſiderant; ipſius quidem animæ, tam ſanitas, quæ eius uirtus eſt, medij eſt coniectatrix, hoc eſt quædam in mediocritate conſiſtit; quàm affectus, quæ ſunt uitia, ſunt extremorum coniectatores; ideſt, ultra, citraq;, uirtutem conſiſtunt. Iuxtà nanque Philoſophum. Primò. Vitij eſt, exceſſus, & defectus; uirtutis autem medium. Secundò. Boni ſimpliciter dicimur, multifariam autem mali. Tertiò. Virtus eſt habitus electiuus, in mediocritate conſiſtens. In mediocritate autem duorum extremorum, alterius ſecundùm exceſſum, alterius ſecundùm defectum. Liberalitas enim uirtus eſt, prodigalitas autem uitium excedens, auaritia uerò uitium deficiens. Quartò. Vitio-

Auerr. 5. meta. 21. Auerr. 1. cæl. 4.

Auerr. 5. meta. 21.

Prima ratio.

Ariſt. 2. eth. 5.

Ariſt. ibid.

Ariſt. ubi ſupr.

Ariſt. inibi

um uirtus medium, inuenit, ac eligit. Quem- Ariſt. ibid
admodum igitur in ethicis, ſeu moralibus, eue-
nit; ita quidem & in phyſicis, ſeu naturalibus;
ac medicinalibus, quæ corporis perueſtigant,
ſanitatem, & morbos; tum ſanitas corporis,
quæ ipſius eſt uirtus, eſt coniectatrix medij;
tum ipſiuſmet morbi, quæ ſunt eius uitia; ſunt
extremorum coniectatores. Primò enim, mor-
bi, ſeu morborum, exceſſus, & defectus; ſunt.
Non enim intenſißima ſolùm, uerùm etiam im-
becillima, caliditas, frigiditas, humiditas,
ſiccitas; morbi ſunt. Nam; & temperamen-
tum, ſanitatis ſymmetriam egreſſum, morbo
eſt propinquum; & in temperaturæ quæcunq; Gal. 8.
tantum habent magnitudinem, ut poßint iam læ- meth. 3.
dere operationem; ſunt ex morborum genere.
Sanitatis autem, quæ uirtus eſt; medium exi- Gal. 5.
ſtit. Secundò. Sani ſimpliciter dicimur, mul- aph. 57.
tifariam autem ægrotantes. Nam; & unica eſt
ſanitas; & multi, genere, ſpecieq; ſunt mor-
bi. Tertiò. Sanitas eſt uirtus, in mediocritate
conſiſtens. In mediocritate autem duorum ex-
tremorum, alterius ſecundùm exceſſum, alte-
rius ſecundùm defectum; quales utique ſunt, &
intenſißimæ, & imbecillimæ, caliditas, frigidi-
tas, humiditas, ſiccitas; eiuſmodi nanque qua-
litates (ut iamiam monſtratum eſt) morbos eſſe
conſtat. Quartò. Morborum utique medium Gal. 8. met.
ſanitas ipſa corporea ſibi, inuenit, ac eligit. 3. & 5. aph. 57.

Secunda ratio. Secunda autem ratio eiuſmodi ſit, ferè tamen in primam concidens. Sicuti, boni ſimpliciter dicimur, hoc eſt liberales; multifariam autem mali, ideſt, prodigi, & auari; ita, & ſimpliciter ſani, & multifariam ægrotantes, uidelicet, nimiùm, aut minimùm, calidi frigidi, humidi, ſicci. Non enim (ut mea ſententia fert) uera protulit Auerroes; affirmans, tot quidem ſanitatis, quot ægritudinis, ſpecies eſſe; licèt hæ nominatæ, illæ uerò in nominatæ; nobis

Auerr. 5. phy. 57. & 3. cæl. 18. & 3. collig. 1. ſint. Tot enim corporis, quot animæ; tum, ſanitates ac uirtutes, tum, morbi, & affectus; eſſe uidentur. Quàmuis autem, plures ſanitates eſſe, Galenus affirmauerit; id tamen equidem nihili faciundum reor.

Tertia ratio. Idem 7. physſ. 32. Cùm nanque res inuicèm diuerſæ ſint; uel, genere, ſpecie, numero, uel, intenſione, & remiſsione, ideſt ſecundùm, magis, ac minùs; utique ſanitas eſt illi unica, ſpecie, & (quemadmodùm ipſe dicit) forma; plures uerò, intenſione, & remiſsione, ideſt ſecundum, magis, ac minùs, inuicèm differentes; eidem planè ſunt ſanitates. Magis autem, ac

Idem 4. phyſ. 71. minùs; ſpeciem, non uariant, hoc eſt uariam non reddunt. Caliditates enim, & albedines; ut unum, ut quatuor, ut octo; eiuſdem quippe ſunt ſpeciei; licèt, ordinibus, & gradibus; ſint diuerſæ. Eius uerò talia ſunt uerba. Si quidem omnium, qui ſani ſunt, membrorum conſtitutio in ſymmetria conſiſtit; conſtitutiones autem ip-

sæ uariæ sunt, quandoquidem functiones sunt uariæ; utique, multæ, uariæq;, constitutionum ipsarum erunt symmetriæ. Quare etiam sanitates, multæ, uariæq;, sunt, non ipsa communi omnium forma, undè dictæ sanitates sunt; sed, maioris, minorisq;, ratione inter se dißidentes. Etenim sicuti niuis candor ab eo, qui in lacte uisitur, quàtenus candor est, non dißidet; maioris, tamen, minorisq;, ratione dißidet; ita Achillis (uerbi gratia) sanitas ab ipsa, quæ in Thersite est; quàtenus sanitas, non differt, sed est cum ipsa eadem; altero, uerò, quopiam ab ea differt. Id uerò alterum aliud planè nihil est quam, maioris, minorisq;, ratio. Hæc omnia Gal. Tertio. Quemadmodùm animæ sanitas, quæ quidem ipsa est uirtus, est electiuus habitus, in mediocritate consistens; sic pariter sanitas corporis, quæ eius uirtus existit; est naturalis habitus; consistens (ut monstratum iam est) in elementorum, humorum, & partium, cùm instrumentalium, tùm similarium, mediocritate, quam συμμετρίαν diximus. In mediocritate autem duorum extremorum morborum; alterius secundùm excessum, quæ summa est, caliditas, frigiditas, humiditas, siccitas; alterius secundùm defectum, quæ quidem eædem sunt remissißimæ qualitates. Earum nanque extremarum primarum qualitatum sanitas, medium, hoc est symmetrian; inuenit, ac eligit. Vt, tum animæ

Gal. 1. de sanit. t.

Arist. 2. eth. 5.

tum corporis, ſanitates, ac ægritudines; eadem penè inuicèm, & harmonia conſonare, & analogia congruere; belliſſimè uideantur. Medicorum in ſumma Dogmaticorum cacodæmon ſola quidem mihi (qua uidelicèt talem profiteor) & quatuor, elementorum, humorumq;, & partium, ſimilarium, organicarumq;, eſt ametria; contraq; eudæmon ſola eorundem ſymmetria. Vt nefas quidem haud uulgare uideatur (aſſerat quicquid uelit farnelius) nos, dogmaticam, ſeu rationalem, Medicinam profitentes; & morbificas cauſas, & morbos, & ſymptomata, in Dæmonas reijcere. Cùm nunquàm id (quòd equidem legerim) dogmaticæ regionis, uel Imperator Hippocrates, uel Rex Galenus, uel Princeps Auicenna, uel Dux celſus; nobis præceperint. In talibus autem (quas equidem ut Chriſtianus non reijcio) cauſis abigendis, ad ſacerdotes, non ad Medicos; recurrendum cenſeo.

Obiectio. Siquis autem contrà aſſerat, tàm animæ affectuum, quàm corporis morborum, Dæmonas, Deos'ue, exiſtere, etiam Galeno affirmante, cauſas; ita quidem in libro de rerum affect. dign. & medic. ad uerbum aſſerente. Si tandem caſibus ita deſperatis & hæc fruſtra admoueris; non abſurdum erit; nos, ceu Chriſtianos (ſic Deo rem remittas) ad, maxima noſtra, ac uerè arcana, confugere; quibus (id; quod, & credo, & confiteor) non corporis ſolùm affe-

ctus, ex quibus omnes, iam, Medici desperarint, persanari; sed omnes etiam animi paßiones funditus extirpari. Ad hoc, facilè, breuibusq́;, respondeatur; non sanè legitimum Galeni ipsius, sed spurium, in quo talia scripta sunt; librum existere. Cuius opinionis duo quidem huc afferri possunt indicia. Alterum plurima in eo legi, quæ legitimæ Galeni ipsius doctrinæ refragari manifestè uidentur. Quorum unum sit, cum planè Christianis, tùm eorum legi, in exarata iam dicti libri sententia eius autorem manifestè inhæsisse. Cùm tamen in legitimo de pulsuum differentijs libro Galenus quidem à, Christi, Moysique, scholis, ac legibus, quas nulla demonstratione constitutas asserit; manifestè recesserit. Qui tamen in hoc ideo quidem est manifestißimè hallucinatus; quòd; tum lex, quam uulgò fidem appellamus, opinio, non scientia; tum harum, illa contingentium, hæc necessariorum; sit. Quamobrem, non sacri Theologi solùm, qui Deum, trinum, atque unum, meritò, uenerantur, colunt, adorant; uerùm etiam Peripatetici; quorum, aliqui eum non nouêre, quidam eundem (proh scelus) omnino spreuêre; fidem, hoc est legem; opinioni, non autem scientiæ, inhærere; coasserunt. Cùm nanque, opinio cum, formidine, & difficultate; scientia uerò contrà cum, certitudine, & facilitate, sit; meriti quidem, illa

Responsi. Gal. in d ren. a d. c. m.

Idem 2. de differ. p.

Auerr. 7. meta. 53. et 6. ethic. 4.

Idem 2. anim. 157.

plurimum, hæc nihil; præſefert. Virtutem enim, non quidem in facilibus nænijs, & ocio, ſed in difficilibus, ærumnis, ac negocijs; conſiſtere ijdem coaffirmant Peripatetici. Quocirca; ſiquis (exempli gratia) nouus Antichriſtus, in ueriſsimam hanc, ſacroq; ſanctiſsimam, noſtram legem ingruens, fortè aſſereret, cæleſte quidem eos Regnum adepturos; qui ſolem, cùm ſplendeſcere, tum nos calfacere, firmiter concrediderint (ſplendeſcit autem ex ſe calfacit, ex accidenti, luminis inquam & motus, ui) Ille quidem eſſet, non parui, ſed nihili, pendendus; non ſolùm quòd omnino falſa, uerùm etiam quòd penitus, & ſenſibilia, & facilia, & certiſsima, nobis enunciaret, ac credenda ſuaderet; ex quorum æquore nullum expiſcari meritum licet. Etenim lex (ut dictum iam fuit) eſt; tum opinio citrà ſcientiam, tum cum formidine citrà certitudinem. Quàmuis autem, aſſenſum cum, ratione, & iudicio, opinionem eſſe, uoluerit Alexander; is tamen rationis nomine, topicam, & probabilem; non, demonſtratoriam, & certiſsimam; intellexit. Alterum uerò eiuſdem rei indicium ſit, quòd quidem eiuſmet de renum affectus, dignot. & medic. libri inſcriptio, non (Galeni liber) ſed (Galeno aſcriptus, liber) habeat. Hoc enim, quiſna'm id genus libri fuerit autor, eius interpretem addubitaſſe, præſefert. Adde præterea

Idē I. meteor.

Alex. in paraph. de anima, cap. de phent.

(quod quidem longè ſatius eſt) corporis affectus, animæq; paßiones, non à Dæmonibus, ſed à Deo, extirpari; nominati iam, libri Autorem (quicunque fuerit) aſſeruiſſe. Liquidò autem conſtat uniuerſalem, & ſanitatis, & ægritudinum, cauſſam Deum eſſe; qui quidem omnium, principium, cauſſaq; exiſtit. Hinc enim, illud. Propter peccata ueniunt aduerſa. Item & illud. & peccatum meum contra me eſt ſemper. Cùm itaque tertia hæc, medica nuncupata, Philoſophia, mediatè quidem primæ, quæ Metaphyſica dicitur, immediatè uerò ſecundæ, quæ Phyſica appellatur, ſit modo, iam dicto, Philoſophijs ſubdita; nefas eſſe uidetur, his, harumq; principijs; non conſona, ſed potiùs, diſſona, ac repugnantia (quales ſunt, Dæmones, ac dæmonicæ morborum cauſæ) in medicam hanc dogmaticam artem inuehere; necnon illis, aſſentire, & aſſentari; qui dæmonicis id genus morbificis in medendo cauſis innituntur. Præcipuè autem; cùm Medico ipſi, phyſico, & naturali, ſeu, dogmatico, & rationali; tàm naturales, ſeu mauis præternaturales, quàm rationales, morborum non deſint cauſæ. Naturales autem, non, quod præternaturam non ſint (tales enim in rei ueritate ſunt, tum cauſæ, tum morbi, tum ſymptomata) ſed quàtenus, & morbifici ſunt motus principia, & Dæmonum ſaltèm reſpectu naturales ſunt. Non igitur Dæmones, ſed aliæ,

Ariſt. 1. metaph. in proœm.

Dauid pſa. 50.

Gal. 2. met 3.

quæ ſubinde hîc conſcribentur, propriæ ſunt morborum cauſæ ad Medicorum, non tamen rectè ſentientium mentem.

DE PROPRIIS MORBORVM CAVSIS.

CVM igitur Dæmones (ut monſtratum iam ſuperiùs eſt) morborum cauſæ non ſint, ac inter omnes conſtet nihil, quod, uel factum ſit, uel fiat, ſinè cauſa exiſtere; quæ'nam, propriæ, ueræq;, fuerint, à quibus iugiter fiunt, morborum cauſæ? Profectò duplices; aut externæ, quæ, extra nos, non in nobis, ſunt, quas, procatarcticas Græci, primitiuas, ac euidentes, latini, nominant; aut, internæ, ſiuæ abditæ, quæ, contrà, in nobis, non extra nos, uigent; proegumena à Græcis appellantur, aq; externis ipſis originem habent. Quòd uera hæc ſint; uel quidem facilè Galenus commoſtrat, hæc dicens. Duplices corruptionis ſunt cauſæ; alteræ, internæ, & à ſe; alteræ extrinſecùs incidentes. Item cauſæ, morbificæ ſunt genere duplices, nam, hæ ſunt externæ, illæ ex nobis ipſis propagantur. Externæ cauſæ ſunt quæcunque, extra corpus poſitæ, quicquam in corpore alterant. Itidem. Morborum cauſæ; uel quidem in ipſo animalis corpore conſiſtunt, quas internas uocant; uel extrinſecùs, quas externas. Item. Morbi cauſæ duplices ſunt; aliæ quidem eternæ, quas,

Gal. 5. de Hip. e. p. d.

Gal. 1. de ſanit. t.

Gal. 1. de cauſ. p.

Gal. 1. met 8.

προκαταρχτικά, καὶ προκατάρχοντα, Græci uocant; aliæ uerò internæ, quæ, tum, græcè προηγούμενα, latinè abditæ, nominantur, tum ab externis ipsis originem trahunt. Externarum autem causarum tres sunt modi. Nam, aliæ incidunt, aliæ contundunt, aliæ intemperantiam humano corpori ingerunt; iuxtà Galeni illud. Externæ morborum causæ, uel quia incidunt, uel quia contundunt, uel quia intemperiem aliquam creant; animantium lædunt corpora. Præterea eorum, quæ extrinsecùs incidunt; unum certè est, quod separari ab eo non potest, quodq; illi, perpetuò, & (ut sic dicam) ueluti connatum, adhæret, aër ipse ambiens; alia, nec necessariò, & in certis temporibus nobis accedunt, lædunt autem nos ille (nempe, qui circumfunditur, aër) quòd immodicè, calidos, frigidos, humidos, uel siccos, nos, efficiat; hæc quòd, contundant, diuellant, uulnerent, uel articulum aliquem loco moueant. Causæ, quæ, incidunt, uel contundunt; infrequentes sunt. Causæ autem, quæ, calfaciunt, refrigerant, siccant, uel humectant; longè quidem sunt frequentiores. Siue (ut speciebus genera præponamus) externa morbi causa est, uel accidentalis qualitas, uel substantiæ quantitatis diuisio; hæc dicente quodam loco aduerbum Galeno. Quæ corporibus nostris propinquant; hæc quidem, uel substantiæ quantitatis diuisione nos alterant; ueluti, contundendo, incidendo, ac di-

Gal. 2. de hum. n. 2.

Externæ causæ.

Gal. ibid.

Gal. 1. de sanit. t.

Gal. in 16.

stendendo; uel qualitate ut, calefaciendo, re-
Gal. 12. meth. 7. *frigerando, &c. Item alibi. Corporis uires ser-*
uantur nempe potissima ratione ex eo, quòd de
earum substantia, uel inanitum, uel alteratum,
est, corrigendo; secundo loco prohibendis ijs,
quæ ipsarum substantiam, uacuare, alterare'ue;
possunt. Comprehensa uerò inter ea, quæ alte-
rant, breuitatis causa sint &, quæ earum unita-
Gal. 9. meth. 13. *tem distrahunt. Alio itidem loco. Necesse est,*
uel ruptionem, uel contusionem, uel erosionem,
esse; affectum eum, qui diuisionem continui fa-
Gal. 12. meth. 7. *ciat. Illis præterea tribus & erosionem super*
addit alio quodam loco Galenus, hæc habens.
Porrò diuiditur corpus, tum ex uulneratione,
tum ex contusione, tum ex ruptione, tum ex ero-
Gal. 5. meth. 2. *sione. A quibus autem conscripta hæc fiant, his*
quidem exprimit sententiolis Galenus. Ruptio,
ex distensione quadam, contusio ex grauante, ero
Gal. 12. meth. 7. *sio ex mordente; prouenit qualitate. Item. Ero-*
sio; si intrinsecùs ab ipso animali prouenit, ui-
tiosi succi soboles est; sin extrinsecùs, aut à ua-
Gal. 4. meth. 1. Arist. 1. phys. 4. *lentibus medicamentis fit, aut ab igne. Vt au-*
tem physico more ad magis particularia deue-
niantur; quæ'nam, qualiaq́;, eorum singula sint;
sic exprimit Galenus. Incisio, uel quidem ex-
trinsecùs à gladio, uel intrinsecùs ab acuto humo-
Gal. in de ocul. 6. par. 3. cap. *re; fit. Item. Contusio ex eo quidem proue-*
nit, quòd aliquod corpus ab externo superceci-
derit; quod, durum, magnum, graue, aut si-

mul ambo; fuit. Præterea, quæ uulnerant; ea sunt, acuta, adq́; secandum habilia; quæ contundendo soluunt, ea, grauia, duraq́;, sunt; quæq́; rumpunt, omnia quidem id tensionis interuentu faciunt. Idem, & intensior actionis uehementia facit, & succi abundantia (licèt ad intimam hoc causam pertineat) non utiq; uirium respectu, sed cùm à uase suo non continetur; & casus ab alto, & graue quidpiam, durumq́;; incidens. Ac si in summa taliter dixisset Galenus. Externarum causarum; aliæ ex ijs proueniunt, quæ, non necessariò, sed, contingenter, & rarò, nos alterant; qualia sunt nostrum corpus; uel incidentia, contundentia, ac distendentia; siue (unico uerbo) corporei continui solutionem molientia; aliæ uerò ex ijs, quæ contrà, non raro, contingenter'ue, sed necessariò, hoc commoliuntur; qualia ea sunt, quas non naturales res recentiores Medici nominant, in quibus tota uictus ratio consistit. In quorum fidem sic habet Galenus. Alteratur corpus; à quibusdam non necessariò, qualia ea sunt, quæ quidem aliqua est euitandi ratio, ueluti sunt uulnera (nam, ensibus, ac exitialibus feris, obuiare; non necessarium est) à quibusdam autem necessariò, qualia sunt, tum, ambiens nos, aër; tum, motus, & quies; tum, somnus, & uigilia; tum ea, quæ assumuntur; tum ea, quæ, excernuntur, ac retinentur; tum animæ affectus. Ideo autem, hæc necessariò, illa

Gal. 12. meth. 7.

Gal. 5. met. 2.

Gal. in lib. art. m. 85.

non necessariò, nos alterare, à Galeno perhibentur; quia, aërem, nos ambientem, semper attingere; comedereq́;, ac bibere; uigilareq́;, & dormire; est necessarium; ensibus autem, & exitialibus feris, obuiare; non necessarium. Quare, circa primum causarum genus uersatur ars, corporis conseruatrix; circa secundum autem minimè. Sed dixerit fortè quispiam. Hæc, quæ necessariò nos alterant; non planè morborum effectrices, sed potiùs sanitatis conseruatrices; causas esse. Cùm nanque ea uitam seruent; sanè & sanitatem, quæ uitæ ipsius est fundamentum; necessariò tuentur. Quò nanque, ad aërem; adq́; ea, quæ assumuntur; utique necessaria hæc, & sanitati, & uitæ, existere; sic Galenus affirmat. Reliquas materias, tum deligere, tum fugere; licet. Quàm autem ambiens præstat, fugere non licet. Immo necesse est, præsenti cœli statu uti. Optimum igitur, hoc est purum, aërem, in pulmones trahere; omnibus iuxtà salubre est. Non enim, uel morbus tolli, uel sanitas tueri; sine ambiente potest. Ideo autem illud est salubre; quia, & innati caloris, symmetriam, commoderationemq́;, conseruat; & animalis spiritus substantiam nutrit, in quorum simul utroq;, non tantùm sanitas, sed & uita, consistunt; iuxtà Galeni illud. Si, neque inspiremus, neque expiremus; tum quidem ob immoderatam cordis caliditatem, tum ob prohibitam animalis spi-

Gal. ubi supr.

Gal. ibid. Obiectio.

Gal. 9. met. 14.

Gal. 1. de sanit. t.

Gal. 9. met. 14.

Gal. in de caus. r.

ritus nutritionem; uita excedimus. Etenim maxima respirationis utilitas duplex est; altera, tum per inspirationem, quæ cor ipsum, refrigerat, ac uentilat; tum per expirationem, quæ fuliginosum diffundit; altera uerò per inspirationem solam, quæ animalem ipsum, iam resolutum, regenerat, & nutrit; spiritum. Optimam uerò, cibi, ac potus, assumptionis; necnon aëris attractionis; neceßitatem, inibi sic coaßignat idem Galenus. Cùm quotidie propter, insitum cunctis animalibus ipsis, calorem, nonnulla substantiæ portio defluat; nullus quidem alius est hanc iustus seruandi modus; quàm, cibi potionisq;, respirationis, & arteriarum motus, ope. Præterea; cùm tota moles animalium in perpetuò fluore sit (alteramur enim teste Philosopho semper, & nunquàm permanemus idem. Socratesq; senex autore Porphyrio à se ipso, iam puero, differt) profectò; ni similis altera substantia pro ea, quæ iam defluxit, restituta sit; euaporabitur, ac dißipabitur; uniuersa. Esse igitur, ac bibere; necessaria animalibus sunt. Cibo nanque quicquid siccioris substantiæ defluxit, restituimus; potione quicquid humidioris. Adque pristinam ita symmetriam ambo reducuimus; & aëreæ, igneæq;, substantiæ, modum, respiratu, arteriarumq; pulsu; tuemur. hæc Galenus. Item. Si hominis corpus medij planè temperamenti sit; per alimenta medij temperamenti

Gal. in de utilit. r.

Gal. 1. de sanit. t.
Gal. inibi.
Arist. 11. metaph. 5.
Porph. in prædicab. cap. 4.
Gal. 1. de sanit. t.

Gal. ibid.

Gal. ubi supr.

Gal. 1. de aliment. f. eo in statu seruabitur. Ea uerò alimenta medij sunt temperamenti; quæ nulla uincenti qualitate

Gal. initi. sunt prædita. His adde & alimentum ipsum, extra prodiens; non solùm in corporibus, melius, ac deterius; sed in animis quoque, id genus omnia; parere non minùs posse. His super-

Gal. in lib. Quòd a. m. c t. s. addi quò ad, cibum, ac potum; etiam possunt geminæ Philosophi sententiæ; quarum altera est. penitus quæcunq;, aluntur, uiuunt in fine, quousque possunt alimentum accipere; hoc est omne

Arist. 2. de ani. 14. Auer. ubi supr. animans, donec nutriatur, uiuere; altera uerò est. Augmenti quidem esse calidam humiditatem, & uitæ, causam; idest, calido quidem nos

Arist. in de cau. l. e b. u. uiuere, & humido nutriri. Et hæc de, aëris, cibi, potusq;, quò ad, uitam, ac sanitatem; necessitate sint dicta. Quò autem ad motum hic quidem est omnibus, natura subsistentibus, uita.

Arist. 8. phy. 1. Arist. 5. phys. 9. 18. Cùm nanque motus ipse in tribus sit, cathegorijs, elementis, generibus, seu prædicamentis; quantitate, qualitate, & ubi; sanè absque; tum augmento, decrementoq;; tum, calfactione, refrigeratione, humectatione, siccatione, generatione, nutritione, attractrice, retentrice, concoctrice, & expulcrice; tum locali, qui in, cerebro, ac neruis; in corde, & arterijs; in iocinore, & uenis; ac reliquis partibus, fit, motu; nec generari, nec nutriri, nec augeri, nec uiuere; poterit animans. Quò ad quietem in omni corporis motu, ubi laborare quis cœperit,

quies

quies statim laßitudinem aufert. Prætereà uoluptas; magis in quiete est, quàm in motu. Negociamur enim, ut ociemur; & bellum gerimus, ut in pace degamus. Necnon; quæ sunt sananda (Galeno teste) quietem requirunt. Quòad, somnum & uigiliam; ille planè concoquit, hæc digerit. Quòad, inanitionem, & repletionem; quicunque morbi ex repletione fiunt, curat euacuatio; &, quicunque ex euacuatione, repletio. Quò uerò ad animæ affectus utique negandum est, sine eis quempiam inueniri; etiam, si optima quis natura sit præditus; aut etiam, si apud gentes uixerit, quæ optimis educationibus utantur. Moderati autem hi si sint; cùm sanè corpus, tùm animam; conseruant. Quasobres hæc quidem omnia, non morborum effectrices, sed sanitatis conseruatrices; erunt causæ dicendæ. Nisi esset; quòd ijs omnibus, uel moderatè uti, uel immoderatè abuti; nos poßumus. Qua enim in re est plus; in eadem quidem sunt, minus, & æquum. Seu inter, plus, & minus; æquum est, ac medium. Si igitur, modicè, seu cum modo, eis utamur; sanitatis sunt causæ. Sin, immoderatè prætereq; modum, abutamur, ægritudinum. Quònanque ad aërem; si quidem hic temperatus sit, cunctis est salubris iuxtà illud. Optimum, hoc est purum, aërem in pulmones trahere; omnibus iuxtà salubre est. Sin autem intemperatus; multis est insalubris, hæc dicente

Hipp. 2. aphor. 48.
Arist. 8. eth. 14.
Arist. 10. eth. 9.
Gal. 5. meth 8. 11
Gal. 12. meth. 3.
Hipp. 2. aph. 22.
Gal. in de cognos. c a. m.
Gal. in lib. art. m. 85.
Responsio.
Arist. 5. eth. 6.
Arist. in i-bi. 7.
Gal. 1. de sanit. t.

Galeno. *Animal, refrigeratur, & liuescit; & sensum, aut difficilem experitur, aut prorsus amittit; utique pro aëris temperaturis. Item. Ille nempe, qui circumfunditur, aër; nos lædit; quòd immodicè, calidos, frigidos, siccos, uel humidos, nos efficit. Et Aëtius. Aër, nos ambiens, aßiduè temperaturas euertit; ubi plus æquo, calidior, frigidior, humidior, uel siccior; sit.* Quòad motum; moderatus quidem & hic esse debet, sic dicente rei medicæ Imperatore. *Labor mediocris sit. Nam totum corpus salubriter perflari facit exercitij moderatus usus. Immodicus autem labor; crudos succos à uenis in carnem rapit; necnon, flauæ, & atræ, bilis; succi plus aceruat; propterea, quòd plus eius succi in, iocinore, & liene; gignit iuxtà illud. Quos multus labor exercet; ij, biliosum, uel melancholicum, illum æstate, hunc autumno; gignunt. Quin &, si diuturni labores fuerint; quantò utique longiores, tantò sunt ad atram generandam bilem magis procliues. Prætereà, qui cum multo sudore obeuntur, ij craßius excrementum faciunt.* Quòad quietem; moderatam hanc operæprecium est esse iuxtà illud. *Prorsus quidem citrà, fatigationem, laßitudinemq; ægrum seruare oportet. Moderata enim quies; tum morbi totius coctionem iuuat, tum uirtutem ipsam conseruat. Item. Quies, si diuturnior sit, non parum molesta esse solet; quandò nulla animans,*

Gal. in lib. Quòd a. m. c. t. s.

Gal. 1. de sanit. t.

Aët. l. 5. c. 94.

Hip. 6. epi. 6. part. 5. aph.

Gal. in lib. art. m. 85.

Gal. 4. de sanit. t.

Gal. 2. de temper.

Gal. 4 de sanit. t.

Gal. ubi supr.

Gal 3. reg. a. 46.

Gal. 4. reg. 49.

immodico ullo delectatur, sed semper medium modum expetit. Longior enim si ea sit, corpus, immodicè refrigerat. Quamobrem, qui in ocio diutiùs degunt, ij pituitosum aceruare succum solent. Necnon à, desidia, & ocio; timiditas augetur. Quòad, somnum, & uigiliam; profectò utraq;, si mediocriter inuicèm sint adhibita, iuuare se mutuò utiliter possunt; sin modum excesserint, malum. Vberior enim somnus salutaris non est; cùm, nec crudos succos digeri sinat, & uiscera grauiora reddat. Indesinensq; uigilia succi flauæ bilis plus aceruat; propterea, quòd plus eius succi in iocinore gignit. Quòad ea, quæ assumuntur; si hominis corpus medij sit temperamenti; per alimenta medij temperamenti eo in statu seruabitur. Verùm; si id, frigidius, uel calidius, siccius, uel humidius, fuerit; medij temperamenti, cibum, & potum; perperam exhibebis. Quippe huius corpus; quàtenus ab exactè media constitutione recessit, eàtenus in diuersum statum traducatur, est necesse. Fiet autem id per præsentis contraria distemperantiæ. Quòad ea; quæ, excernuntur, ac retinentur; utique, sobrietas, seu temperantia; præcipua sunt præsentis, & sanitatis tuendæ, & ægritudinis abigendæ, instrumenta iuxtà illud. Cuiusuis ferè ægritudinis, primus, præcipuusq;, curandi scopus; in exacta uictus ratione consistit. Hinc igitur ægrotantibus, qui præceptis

Gal. 1. de sanit.t.
Gal. 1. de præsag.e. p. 2.
Gal. 4. de sanit. t.
Hipp. in de aëre. a. e.l.
Gal. 12. meth. 3.
Hip. 2. aph. 3.
Gal. 12. meth. 3.
Gal 2. de temper.
Gal. 1. de alimen. f.
Gal. ibid.
Gal. ubi supr.
Gal. inibi.
Gal. in de remed. p. f.

Gal. in de curan. r. p ſ m. Medicorum ſalutaribus obſequuntur ; manum porrigendam eſſe, præcepit Galenus. Intemperantibus autem; uinoſisq; , ac, uentri, gulæq;, deditis ; nè manum quidem admouere, tentandum eſſe.

Gal. ibid. Quemadmodùm enim (ut Hippocrates inquit) euacuationes, quæ ad extremum deducunt, periculoſæ ; ita, quòd omne nimium (ut Hippocr. uult) naturæ inimicum ſit, refectiones, cùm extremæ fuerint; periculoſæ. Non enim ſatietas; non fames; nec aliquid quicquàm, quod modum naturæ exceſſerit; bonum. Cùm nanque ſanitas moderantia quædam ſit; neceſſe eſt; omnes immoderantias, quæ plurimùm à modo receſſerunt, iam ægritudines eſſe.

Hipp. 1. aph. 3. Hipp 2. aph. 51. Hipp. 1. aph. 3. Hipp. 2. aph. 4.

Gal. inibi. Etenim, ſi cibus præter naturam plus ingeſtus eſt, hic morbum facit. Oſtendit autem ſanatio.

Hipp. ubi ſub. 17. Quamob rem diuinus Hippocrates. Plurimùm, atque repentè ; euacuare, uel replere, uel calefacere, uel refrigerare, ſeu quouis alio modo corpus mouere ; periculoſum ; eſſè uoluit, cùm quidem (ut iamiam dictum eſt) omne nimium ſit naturæ inimicum ; ſed, quod paulatim fit, tutum ſit.

Hipp. ibid. 51. Immoderata enim; tum, abſtinentia, ac inedia ; ſucci flauæ bilis plus aceruant ; propterea, quòd plus eius ſucci in iecinore gignant ; tum repletio ſuccorum inuehit cruditatem, iuxtà Galeni illud.

Gal. 2. de temper. Intemperantes, uinoſosq; ; ac, uentri, gulæq;, deditos ; neque purgatione, neque ſanguinis miſſione ; magnopere adiuueris. Nam per uitæ

intemperantiam crudorum humorũ copiam ocyſſimè colligunt. Quò tandem ad animæ affectus; mediocres quidem illos, rarosq́;, eſſe, oportet; tales denique, ut rationi non aduerſentur. Vt enim puerum oportet ſecundùm Pedagogi præcepta uiuere; ita, cupiditas, ſeu appetitus, debet obedire rationi. Liquet igitur; ab ægrotantibus caueri quidem oportere omnes immodicos animi affectus; ut, iræ, triſtitiæ, furoris, timoris, inuidiæ. Hæc enim, alterant, aq́; naturali habitu corpus auertunt; iuxtà Philoſophi illud. Dolor, ac id genus alij affectus, immodici, diſtrahunt, atque corrumpunt; naturam habentis. Prætereà ijdem affectus nos æquo reddunt; interdum calidiores, ſic Galeno dicente (nimia, ſollicitudo, ira, ac dolor; ſucci flauæ bilis plus aceruant; propterea, quòd plus eius ſucci in iocinore gignunt) interdum frigidiores; eodem affirmante; ex, immodicis animæ affectibus, ac diuturno metu; humana refrigerari corpora. Vt, non quidem leuis, in Galeni ipſius dictis contradictionis, hæ ſententiæ uideantur notam inferre; quarum, altera dolorem calfacere, altera timorem refrigerare, coaſſerunt; cùm tamen uterque, tàm dolor, quàm timor, innatum calorem ab extimis in intima pariter utique reuocans, tam extrinſeca refrigerẽt, quam intrinſeca excalfaciant. Oppoſitæ autem hæ ſententiæ conciliabuntur (Annuente Deo) in Gale-

Gal. in de curand. r. p ſ. m.

Ariſt. 3. eth. 15.

Ariſt. inibi

Gal. in lib. art. m. 85.

Ariſt. 3. eth. 15.

Gal. 2. de temper.

Gal. 1. de præſag. e p

Galenica contradictio.

ni contradictionum libro, quas in eius dictis ad, tres, & quadraginta, supra quadringentas, iam diu collegi. Singulis uerò, iam dictis, sententijs (hoc est; sex illarum, necessariò nos alterantium, causarum; moderatum nos usum iuuare, immoderatum nosmet abusum lædere) hæ porrò sunt consonæ; quas in, Hippocratis, & Galeni scriptas inuenies monumentis. Etenim ille sic scriptum reliquit. Πόνος, βίος, πόσις, ὕπνος, ἀφροδίσια, πάντα μέτρια. Hoc est. Labor, cibus, potus, somnus, uenerea; omnia mediocria. Hic uerò hæc habet ad uerbum. Omnia igitur, nunc dicta, genera (uidelicet; aër; motus, & quies; somnus, & uigilia; ea, quæ assumuntur; ea, quæ, excernuntur, ac retinentur; & animæ affectus) materiæ quædam sunt salubrium causarum. At usu opportuno adhibito causæ fiunt, conseruatrices, atque salubres; sed, ubi à modo deliquerint; insalubres redduntur. Vndè etiam liquet ex his; nullam harum exteriorum rerum, aut salubrem, aut insalubrem, à nobis existimari oportere; & easdem potiùs, quandoq; quidem salubres, quandoq; uerò insalubres; in eo, quod ad aliquid, esse. Nam, ubi motum corpus desiderat; exercitatio quidem salubris, ocium autem insalubre. Cùm uerò eget quiete; ocium quidem salubre, exercitatio autem insalubris. Eodem modo; de, cibis, potibus, & alijs omnibus; est statuendum. Horum

Gal epid. 6. par. 6. aph. 5.

enim ſingula; quando, ut neceßitas corporis exigit, cùm, menſura, ac qualitate, opportuna adhibentur; ſalubria fiunt. At; cùm, citra omnem neceßitatem, ac præter modum, afferuntur; inſalubria. Atque hæ duæ ſunt circa, ſalubre, & inſalubre, intentiones; rei ſcilicet, quæ adhibetur, qualitas, & quantitas. Hæc omnia Gal. & hæc de externis cauſis iam dicta ſint. Internæ uerò morborum cauſæ duplices ſunt; aliæ antecedentes; aliæ, contentiuæ, ſeu continentes, ſeu coniunctæ. Cùm autem coniunctas ipſas cauſas recentiorũ, Medicorũ apud ſecundum dogmaticæ reip. Principem, nõnulli ingeſſerint, nonnulli reiecerit ideo, qui nam ipſorũ me Palæmone rectiùs ſenſerint, iamiam perpendo. Cauſarum rerum naturalium; alteræ priores, alteræ poſteriores, ſunt; ſic ad uerbum dicente Philoſopho. Cauſarum ſimilium ſpecierum, altera prior, altera poſterior; ut ſanitatis, Medicus, & Artifex. Secundò, aliæ propinquiores, aliæ remotiores. Tertiò, aliæ potentia ſunt, aliæ actu; iuxtà eiuſdem illud. Cauſarum, aliæ potentes dicuntur, aliæ uerò ſicuti operantes. Quartò; aut agentes ſunt, actu, aut ſecundùm potentiam, agunt. Nam (Galeno autore) aliud quidem, actu, ſiue aſpectu, ſiue ſecundùm apparentiam, tale eſt; aliud, poteſtate, ſeu uiribus. Has igitur iuxtà hypotheſes equidem (Galeno, etiam annuente, uel ſaltèm non abnuente) tam

Gal. in lib. art. m. 85.
Cauſæ internæ.

Ariſt. 5. phy. 3. & 2. phy. 32.
Ariſt. 5. meta. 3.
Ariſt. 2. phyſ. 34.
Ariſt. 5. meta 3.
Gal. 2. de natural f.

coniunctam, quàm antecedentem, morborum causas esse, neutiquàm inficiarer; immo audacter potiùs assererem. Si nanque eiusmodi quidē ambæ sunt in naturalibus causæ; cur nō pariter & in præternaturalibus, cùm quidē opposita sint oppositorum effectuum causæ. Si igitur (quòd in pluribus semper malo bonum contrarium sit) sanitas, & ægritudo, contrarij sunt inuicèm habitus; nihil enim existit, quod uideatur, simul, eodemq́; tempore, eas unà ambas suscipere posse; nemoq́; esse quit exquisitè simul, & sanus, & ægrotans; Si præterea internarum sanitatis causarum, cohærentes, contentiuæ, continentes, seu coniunctæ; quas utique, primas, ac propinquiores, dicere possumus; illæ sunt; quæ, cùm præsentes sunt, sanitas adest; cùm tolluntur, sanitas etiam discedit; profectò etiam, primas, ac propinquiores, ægritudinis causas; quæ, coniunctæ, continentes, contentiuæ, & cohærentes, sunt; fas, & par, est; affecto homini inesse. Quemadmodùm etiam aliæ quædam id genus sanitatis causæ præcedentes (ut iamiam monstrabitur) sunt; quas, secundas, ac remotas, seu remotiores, dicere possumus; ita & eædem ægritudinis erunt. Etenim ad summam coniuncta causa, primæ, propinquiori, & propriæ, æquipollet; sic habente loco quopiam Galeno. Nec refert, continentes, an conuenientes, an proprias, dicas; antecedens autem, se-

Arist. 4. meteor. 39. 41. Arist. in quant. Arist. Auerr. in quant. Arist. ubi supr.

Gal. in introd.

Gal. 3. de tempr. in princ.

cundæ, & remotiori. Cùm itaque ſanitas ſymmetria quædam ſit, nam in temperamenti qualitate hæc conſtituitur; coniuncta quidem; hoc eſt, prima, ac propinqua, ſeu propria, eius cauſa; ſimilarium fuerit ſymmetria partium; antecedens autem; ideſt, ſecunda, ac remota, ſeu impropria; erit ſymmetria humorum; antecedentior uerò; hoc eſt, tertia, remotior, ac improprior, eiuſdem cauſa; fuerit elementorum ſymmetria. In, nouam autem id genus opinionem, ac eius fidem; ſic ſubſcripſit Galenus. Propria quidem, & proxima, corporis elementa; quatuor humores eſſe, uult in de natura hominis Hippocrates; communia autem omnium, humidum, ſiccum, calidum, & frigidum. Qualitatibus enim nominat elementa, per quas etiam facta elementa ſunt. Item. Pro hypotheſi præſumptum eſto; ſanitatem non eſſe abſolutè elementorum, ex quibus conſtamus; aut medium temperamentum, quam εὐκρασίαν uocant; aut debitam conuenientiam, quam συμμετρίαν appellant (quemadmodum omnibus ferè, qui ante nos ſcripſere, uiſum eſt) ſed eam duntaxàt, quæ ſimilarium eſt partium. Eidem prætereà opinioni etiam alibi idem Gal. aſtipulatur; aſſerens; primò ſanguinem eſſe continentem carnis materiã; quòd, nec alia intercedente mutatione, minimã quidem ad carnis ipſius generationem, mutationem requirat; ſecundò eum, qui in uentriculo

Gal. 1. de ſanit. t. Gal. ubi ſup.

Gal. 1. de element.

Gal. 1. de ſan. t.

concoctus est, cibum; sanguine minùs continentẽ existere eiusdẽ carnis materiam. Priùs enim sanguinẽ eum fieri oportet; deinde carnem; tertiò, mazam, & panem, nondùm scilicèt ingesta, adhuc, quàm concoctus ipse cibus sit, minùs esse continentem carnis materiam, quippe quæ, ut caro fiant, tres sui mutationes; uidelicet in, uentriculo, iecore, & uenis, requirant. Quartò ignem, aërem, aquam, ac terram; adhuc, tum maza, tum pane; minùs esse continentem illiusmet materiam. Vltimò elementis ipsis adhuc minùs eorum materiam. Quamobrem; cùm ægritudo sit ametria quædam (quòd oppositorum eadem sit scientia) nam in intemperamenti qualitate constituta est; profectò; quòd diuersorum generum, diuersæ sint causæ, diuersaq; principia; coniuncta; hoc est, prima, ac propinqua, seu propria, eius causa erit similarium earundem partium ametria; antecedens autem; hoc est, secunda, ac remota, siue impropria, fuerit ametria humorum; antecedentior uerò; idest, tertia, remotior, ac improprior; elementorum quippe fuerit ametria. Eandem autem oppositorum esse scientiam; sic quidem, enunciauit, ac exemplo monstrauit; Aristoteles. Scientia, & potentia; uidetur eadem esse contrariorum. Sæpeq; contrarius habitus à contrario cognoscitur. Sæpè etiam habitus à subiectis cognoscuntur. Si nanque bona habitudo carnis est spissi-

Gal. 3. de temper. Arist. 5. eth. 1. & Auerr. 3. meta. 3. Auerr. 3. meta. 2. Arist. 1. de anim. 5. & 12. meta. 22.

tas; necesse est, ut mala habitudo sit carnis raritas. Præterea homo ex, corpore, & anima; compositus est. Humanum autem corpus (insectili quidem existente anima) ex partibus organicis; hoc est, capite, pectore, uentre, manibus, pedibus, cerebro, corde, & iecore; est compactum. Organicæ autem ex similaribus; idest, carne, medulla, adipe, neruis, arterijs, uenis, oßibus, & huiusmodi. Similares ex quatuor humoribus; quales utique sunt; tum sanguis; tum utraque bilis, & flaua, & atra; tum pituita. Humores immediatè quidem ex alimentis; hoc est, cibis, ac potibus, fiunt; ueluti; quò quidem ad terrea ex plantarum, radicibus, caulibus, corticibus, folijs, floribus, fructibus, seminibus, & succis. Exque brutorum; tum, substantia, ut carnibus; tum, seminibus, ut ouis; tum, fructibus, seu fœtibus, ueluti pullis; tum succis, ueluti, lacte, & caseo; quò autem ad aquea ijdem humores immediatè fiunt ex, sale, plantis, piscibus; quò uerò ad aerea ex, uolucribus, melle, & manna. Mediatè deniq; ex quatuor elementis humores proueniunt; hoc est ex, igne, aëre, aqua, ac terra. Postremò quatuor elementa ex, materia, ac forma; composita sunt. Siue ex, materia, & qualitatibus. Materia uerò, & forma; non planè ex alijs sunt ulteriùs compositæ, nè progressus in infinitum fiat; sed, tum simplices sunt, tum altera al-

Arist. 5. eth. 1.
Auerr. in lib. d. 3. d. 12.

Gal. 1. de element.

Auer. 1. phys. 1.

terius ſunt inuicèm cauſæ; uidelicèt cauſa, materia formæ ſubiectiua, & forma materiæ perfectiua; iuxtà Auerrois illud. Forma eſt cauſa materiæ, quàtenus huius eſt perfectio. Materia uerò eſt cauſa formæ, quàtenus huius eſt ſubiectum. Item. Materia formæ quidem exiſtit cauſa; quàtenus hæc nequit, niſi per illam, inueniri. Forma uerò eſt cauſa materiæ; quàtenus hæc nequit, actu, demonſtrataq;, eſſe; niſi per illam. Itidem. Materia, ſubſtentat formam, quà hæc ſinè ſubiecto eſſe non poteſt. Forma uerò ſubſtentat materiam; quà, huius illa complementum eſt, hæcq; ab illa ſeparari nequit. Quòd autem; & partes organicæ ex ſimilaribus; & ſimilares ex humoribus; & humores ex elementis; & elementa ex, materia, ac forma, qualitatibus'ue; compoſita ſint; ex ipſomet Galeno, cuius ducatu ſæpiſſimè utor, elicito, ſic dicente. Age enim (ut in homine ſermonem tranſigamus) ex, primis hic eſt, ac ſimpliciſſimis ſenſui, elementis; quæ ſimilaria dicuntur; fibra, membrana, carne, adipe, oſſe, chartilagine, ligamento, neruo, cerebro, & alijs omnibus; quorum partes uniuerſæ eadem inuicèm retinent formam. Factæ uerò ſunt rurſus hæ ex alijs quibuſdam, proximis ipſis elementis; ſanguine; pituita; & duplici bile, flaua ſcilicèt, ac nigra; quæ ex, cibis, & potibus; generantur. Qui rurſus ex, aëre, igne, aqua, ac terra; ſunt ge-

Auerr. 3. phy. 65. & 2. de ani. 4.

Auer. 2. phy. 30.

Auer. 1. phy. 70.

niti. Hæc rursus; non ex alijs corporibus; sed ex, materia, & qualitatibus; constant. Ac propterea, ignis quidem, aquæ, aëris, ac terræ, principia; esse dicimus; non elementa. Hæc autem ipsa aliorum omnium sunt elementa. Sunt enim particulæ minimæ aliorum omnium, primæ, simplicesq́;. Quòd quidem igitur ex, aëre, igne, aqua, ac terra, omnes, herbæ, plantæ, & fructus omnes, habeant generationem; neminem, sana mente præditum, equidem puto dubitaturum. Sed neque illud est in ambiguo, quòd hæc sint omnium animalium cibi; neque, quòd ex his humores sint generati, qui secundùm naturam in corpore apparent. Ex his humoribus singulæ partes similares sunt generatæ. Atque ex his, inuicèm iunctis; primum, ac simplex, instrumentum efficitur; quòd ob unam operationem à natura est generatum. His rursus in unum compositis, alterum maius instrumentũ generatur. Atque iterum ex illis, inuicèm connexis; uniuersi resultat structura corporis. hæc Gal. His iam sic determinatis; equidem (ni fortè penitus hallucinor, nunquàm enim hallucinari supra captum homines est) tenendum, ac determinandum, censerem; coniunctam, siue immediatam, ac propriam; tàm sanitatis, quàm ægritudinis, causam; unicam tantùm existere; (ueluti monstratum iam est) similarium ipsarum partium, illius symmetriam, huius ame-

Gal. 1. de elem.

Gal. 3. præd. 43.

trian; antecedentes uerò; ſeu, mediatas, & improprias; eſſè quidem plures; uidelicèt; tum humores, tum elementa; non autem alimenta; nam, externas, ſeu procatarcticas, primitiuasq́; ; ea cauſas eſſe, ſuperiùs eſt commonſtratum. Quòd uerò non apud Galenum, inconueniens, nefas'ue, ſit; & coniunctam dari cauſam, & plures quidem exiſtere antecedentes cauſas, unica tantùm coniuncta exiſtente; ex ipſomet Galeno elicerem, ſic quodam loco habente. His; qui, cùm in balneo ſe lauant, horrore tentantur; una (ut ſic dicam) excitati ſymptomatis cauſa eſt; aliæ, uerò, quæ hanc præcedunt, hoc eſt antecedentes, multæ. Sanè, continentem, horroris cauſam eſſe dico mordentium excrementorum, confertim

Gal. 10. meth. 10. actorum, citatiorem motum. Ampliùs alibi. Fierent quidem excrementa ſpumoſa; quando in ipſo uentriculo unam habens (ut quiſpiam diceret) cauſam contentiuam (quomodocunque, excernatur, aut fiat) antecedentes uerò plures. Eſt autem huius pituitæ cauſa contentiua flatuoſus ſpiritus, dum humori commiſcetur, uehementem habens motum & inæqualem, ita; ut ipſe, & diſrumpatur; & pituitam frangat in, multas, & paruas; partes. Talis uerò motus ipſius, cauſa eſt, & propria natura, & caloris nonnunquàm multitudo. Hæc Gal. Quòd uerò, conten-

Gal. 7 aph. 30. tiua, continens, cohærens, coniuncta; ſeu, prima, propria, ac immediata; morbi cauſa; apud

Galenum ſit (licèt , talem apud eum inueniri , recentiorum quidam Medicorum inficientur) præter geminas haſce, iamiam conſcriptas, Galeni ſententias; etiam alias id genus ſex nunc ſententiolas connotato, quarũ prima ſit talis. Nempe ab omni ente,ut ſit cõtentricis cauſæ opera exigitur. Secunda. Ex ſingulis,præcedẽtibus,hoc eſt Gal. in de *antecedentibus , & externis , ideſt, procatarcticis ,* plenitud. *ſeu primitiuis , cauſis ; ad , primas mutatio, & præcipuas, penetratur ; quas uocant continentes . Tertia . Siquidem renum lapis ſit re-* Gal. 3. de *nalis affectus cauſa ; diſputandùm eſſet; an præin-* cauſ. p. 14. *cipiens , hoc eſt , primitiua , ſiue externa , ſit ; an antecedens , an coniuncta . Tertia . Phreniti-* Gal. in de *dis , comitialis morbi , lethargi , doloris lateris ,* ren. a. d. *peripneumoniæ, reſolutionis neruorũ , & ſimiliũ ;* e. m. *ſunt cauſæ , manifeſtæ , non manifeſtæ, antegreſſæ , antecedentes ; & continentes , ſeu coniunctæ. Quinta . Præſentem diſpoſitionem ſingularum* Gal. in de *cauſarum continentium pulſus primam indicant;* Finit. m. *qua cognita , præcedentes , & externæ , cauſæ; deprehenduntur ipſis primæ inter illas . Sexta* Gal. 1. de *denique talis exiſtit . Morbi cauſarum; aliæ eui-* præſag. c. *dentes ſunt ; à Græcis uocantur , προκαταρκτικὰ,* p. 9. *ideſt antegreſſæ ; quæ , dum aduerſam ualetudinem crearunt , ſeparantur ; ut , frigus , laßitudo , calor, incoctio; aliæ , continentes , cohærenteſq; , quæ , cùm præſentes ſunt, & morbi quoq; earum ad ſunt ; cùm tolluntur , morbi etiam di-*

ſcedunt; ut, ſpina, ac telum; aliæ, præcedentes, ſeu internæ; quæ ab euidentibus, uel præparantur, uel coadiuuantur; ut ſanguinis abundantia nutrimenti copiæ ſoboles eſt. Præcedit autem Eraſiſtrati coincidentiam, quam Græci παρέμπτωσιν nominant; quæ, morborum omnium cauſa eſt coniuncta, uerùm citrà præcedentem non accidit. Παρέμπτωσις δὲ, αἵματος ἐν, ἀρτιρίας, ἢ ἐ ἀρτηρίας. Hoc eſt. Paremptoſis autem, ſiue coincidentia, ſeu intercidentia, ſanguinis in artirias, ſeu arterias; dicitur ſanguis; in arterias ipſas, aberrans, & curſum ſuum flectens. Cùm autem recentiorum Medicorum quidam, coniunctam ipſam cauſam adimens; ſpinæ, teliq; (de quibus in nouiſsima Galeni ſententia mentio fit) exemplum pro ſuæ huius opinionis tutela in medium afferat; quæ duo, externæ, quàm coniunctæ, potiùs ſunt cauſæ; illud tamen nihili quippe mihi pendendum uidetur. Exemplorum enim (ut, Philoſophorum omnium optimi, Peripatetici aſſerunt) non planè uerificatio, ſed rei per ipſa manifeſtatio; quæritur iuxtà Auerrois illud. De exemplo non eſt curandum. Vt ad ſummam (ni fortè, cæcutio, & hallucinor) penitus equidem, & cæcutire, & hallucinari; tum leonicenum, tum Fuſchſium, cenſeam; quorum, ille nouis quibuſdam, figmentis, ac ſomnijs; coniunctam id genus cauſam adimere eſt conatus, quam par erat potius redimere; hic uerò

Gal. in introd. c. 8.

Λέξιν.

Leonicen. in antiſoph.

Auer. 2. de anim. 67. Auer. inibi. 156.

Leon. in antiſoph.

uerò eandem prostrare innixus est, quam instaurare fuisset satius. Quòd enim (Vt Fuchsius manifestè affirmat) inter, causam, & effectum; interq; antecedentem morbi causam, & morbum ipsum; nihil sit medij; uerum quidem id interdum existit, interdum falsum; præmissa causæ ipsius distinctione. Cùm nanque (monstratum: ut superiùs est) causa quidem; altera sit, prima, propria, propinqua, ac immediata; quam Medici, continentem, contentiuam, cohærentem, & coniunctam, dicerent; altera uerò, secunda, impropria, longinqua, mediata, ac remota, quam ijdem nominarent antecedentem; profectò; uerum est; quòd inter, primam illam, seu coniunctam, & morbum; nullum intercidat medium; falsum autem; quòd inter, secundam, seu antecedentem, & morbum; medij nihil intersit. Nam inter, hunc, atque illam; coniuncta planè est media. Fuchsiana igitur hæc, sententia, seu propositio (Inter causam, & effectum; medium non est) simpliciter, absoluteque, enunciata; à ueritate quidem me Palemone digreditur. Quamobrem turpe uidetur; primariam hanc medicinalem, coniunctam, antecedenti germanam, causam; Dogmaticæ; id est, cùm galenicæ, tum hippocraticæ, Medicinæ; palàm adimere, molitum esse germanorum Medicorum Principem. Turpe itidem apparet; eandem, & robustam, & leoninam, idest

Fuc. in medicin. com.

Fuch. inibi.

morbificarum causarum Reginam; nonque sophisticam, sed ueram, causam; eidem abripere innixum romanum ipsum leoniceni Antisophistam. Cæterùm (Vt, ex uniuersalibus in singularia, eque ægritudine in hanc ægritudinem; iuxtà, Philosophorum, ac Rationalium, Medicorum, dogmata; iam progrediar) subdendum equidem autumo; quòd; cùm iuxtà quatuor Megacosimi elementa, ignis, aeris, aquæ, terræ; quatuor itidem in microcosmo sint, illis analagi humores, bilis, sanguis, pituita, melancholia; profectò totidem in nobis, qui microcosmi sumus, congenerari, tam febrium, quàm abscessuum; genera, species'ue; solent. Nam; tertiana febris, ac erisipelas, ex flaua bile progignuntur; synocha, synochus'ue, & phlegmon, ex sanguine, quotidiana, ac œdema, ex pituita; quartana, & scirrhus, ex melancholia. Crassus enim &, lentus, ac durus, humor quodammodo iam melancholicus magis, minus'ue, est; non ampliùs pituitosus. Quorum singulis: porrò singulæ nobis in præsentia constituendæ sunt, cùm antecedentes, tum coniunctæ; causæ. Quamborem (Supposito, rerum, siue effectuum, causas quatuor esse, agentem, materiam, formam, & finem; nec non externis posthabitis causis) profectò dicendum est; quòd primò; tertianæ febris materialis causa, tum antecedens sit flaua bilis, non adhuc

Gal.8. De Hipp. e. P.d. Gal.1. Ad Glauc. 9. Gal. 14. meth.4. Gal. 9. meth. 3. Gal. 13. meth. d.2. c. 1. Gal.8. De Hipp.P.d Gal.2. Ad Glauc.3. & 14. meth.4. Gal.8 De Hip.e.P.d Gal. 13. meth. d.2. c. 1. Gal. mihi

putrida extranei caloris ui reddita; qualis esse solet in, intermittente, seu quietis, die; tum coniuncta bilis, actu iam putrescens. Secundò materialis erysipelatis causa, antecedens est bilis; nondum, uel putrida facta, uel in afficiendam partem mota; coniuncta autem eadem utique bilis; in erysipelatosam iam partem recepta; atque inibi præternaturam, excalsacta, putrescens'ue. Tertiò; supperposito Synochum duplicem esse, alterum cum manifesta putredinis nota, alterum prorsus hanc non habere, quem ex diariarum febrium genere esse constat (Cui quidem his assentiri uisus est Aegineta uerbis. Continuæ febres, quas συνεχεις Græci appellant; ex sanguine accenduntur, alias sanguinis duntaxàt feruefacti, aliàs uerò eiusdem etiam putrefacti; obstructione) profectò materialis synochi ex putredine causa; tum antecedens sanguis est, nondum putris; tum contentiua ille idem, iam putris effectus. Materialis autem coniuncta synochi absque putredine causa ab antecedenti specie differre haud uidetur. Ni fortè in, minùs intensa, uel intensiori, caliditate inuicèm hæ dißideant. Quæ tamen, potiùs, formæ, uel agentis, rationem, ac modum, suscipere uidentur; quæ quidem (Vt Peripatetici asserunt) speciem non uariant, hoc est uariam speciem non reddunt. Non nanque trium ordinum, caliditas, uel albedo; à sex

Arist. 5. meta. 2.
Auic. 1. primi, fen. 1. destr. 1. cap. 1.
Gal. 9. meth. 2.
Paul. lib. 2 cap. 28.

graduum, uel caliditate, uel albedine, specie; sed, intensione, & ordine, seu gradu, tantùm; inuicèm differt. Neque tamen nouum iam uideatur, in idem subiectum, eandemque materialem speciem, geminas id genus causas; uidelicèt, antecedentem, & coniunctam; unà coire. Non enim solùm in hisce præternaturalibus; sed etiam in, naturalibus, ac supranaturalibus; plures caussæ in idem interdum coëunt. In naturalibus quidem id euenire, plures consentiunt Peripateticorum sententiæ. Quarum prima talis est. Veniunt quidem tres causæ in unam multoties. Quod enim quid est, hoc est forma; &, quod cuius causa, idest finis; una est. Quod uerò undè motus principium, uidelicèt agens; specie eadem est his. Homo enim; hominem generat. Secunda. In, homine, ac genitis ab æquali in specie; agens, forma, & finis, idem sunt. Tertia. Forma hominis est finis, suæ materiæ, & hominis; qui ex, materia, & forma; componitur. Quarta. Forma in rebus generabilibus, quodammodò quidem formæ, & quodammodò fines; sunt. Quinta. Causa, formalis, finalis, & mouens; sunt idem subiecto. Idem etiam pariter euenire in, supranaturalibus, seu à materia separatis; binæ eiusmodi prænominatorũ sententiolæ confirmant, quarum altera talis est. Primus Motor est rerum principium, quà motor, quà forma, &

Arist. 2. phy. 70. Auer. ubi supr.
Auer. 5. meta. 22.
Auer. 4. phy. 11.
Auer. 12. metaph. 6.

quà finis. Altera uero (ni forte, naturalem hanc esse, quispiam asserat) est talis. Forma, ac finis, idem sunt in seperatis à materia. Quartò (ut ex sanguinea pleuritidæ depromatur exemplum) pleuriticæ ipsius phlegmones materialis causa, antecedens est planè sanguis ipse, extra pleuran, hoc est in, iecinore, aut uenis, contentus; at coniuncta idem iam actu, costas, ac pleuram, interiacens. Nam iuxtà Galenum externa phlegmones causa, ciborum, ac potuum, existit abundantia; interna uerò redundantia sanguinis; hoc est sanguis multus; qui quidem (iuxtà, nunc habitam eius distinctionem) extra pleuram existens, antecedens materialis est causa; eandem uerò, & costas, intercidens; coniuncta materialis existit. Quintò materialis quotiadianæ febris causa, antecedens est pituita, uondum in putredinem acta; coniuncta uerò idem pituitosas humor, actu putrescens. Sextò œdematis, quam endimiam barbare Recentiores uocant, causa materialis, antecedens est pituita, non adhuc in abscessum collecta; coniuncta autem eadem, in determinatam partem iam confluxa. Septimò quartanæ febris caussa materialis, antecedens, est melancholicus humor, non hactenus putris; coniuncta autem idem actu putridus humor. Vltimò scirrhi materialis caussa, antecedens est, crassus, lentus, frigidus, siccus, & melancho-

Auer. 10 meta. 7.

Auer. in lib. destr. d. 3. d. 18.

Gal. 1. meth. 8.

Gal. inibi.

licus, humor, nondum in afficienda parte (ut pliniano utar uerbo) coadunatus, coniuncta uerò idem, affectæ parti in fixus. & hæ quidem, propriæ, uereque, sint, quas, Dogmatici, Rationales'ue, & Physici, & Chirurgi, Medici curant; non cacodæmones, morbornm caussæ. Dæmones igitur; an; & Theologis &, supranaturalibus, naturalibus, moralibusque, Philosophis; & Medicis; sint, morborumque sint causæ; satis, superque, monstratum iam sit.

PROBLEMA II.

AN VIRIVM IMBECILLItati iuncta, cacochymia per Epicrasin curanda sit.



ORBIFICAS ut caussas (de quibus actum iam est) effecti ipsius, aque te mihi propositi, morbi, quæ per ἐπίκρασιν fit, curatio subsequatur; equidem operæ precium duxi epicraticum ipsum, quod mihi proposuisti, denuo problema, conscribere, & in medium afferre; quod tale est. In curationibus si fortè mihi contingat; ut ægrotantem præ manibus habeam; qui quidem, & malo succo refertus sit, & uires admodùm imbecilles habeat; quid'nam

mihi foret agendum, abste percipere cupio. Quòd si unquam tù, Galenum imitatus, curationem id genus per epicrasin moliendam esse, fortè asserueris; quæso; quo nam pacto Hippocratis occurrendum erit aphorismo, qui, impura corpora nutritione ablædi, testatur; ad significes. Hactenus tù. Cui pro uirili parte satis ut faciam; primùm equidem ingenuè iterum fateor; & te, uirum doctißimum, non, ut quidpiam à me sciolo, & Medicorum minimo perdisceres; sed, ut me ipsum potiùs excitares; ex me fuisse ea sciscitatum; & noctuas me (ut in adagio est) Athenas conuehere. Cæterùm; sciolum interim multiscium consulere; nullum sanè uidetur optimo Phocylidi nefas, hæc habenti

Λάμβανε καὶ βουλὴν παρ᾽ οἰκέτου εὐφρονέοντος.

Demum autem ad rem deueniens; necnon; tum pro hypothesi iterum recipiens; uiam omnem in scientiam esse, uel hippocraticam demonstrationem, uel platonicam diuisionem, uel aristotelicam compositionem; tum platonicæ ipsi diuisioni innixus, dico; quòd medica ars rebus quidem, & naturalibus, & non naturalibus, & præternaturalibus; continetur. Primùm igitur medicæ naturales res septenæ sunt; uidelicèt; primò elementa quatuor, ignis, aër, aqua, terra; secundò temperies; nouem scilicèt; & calida; & humida; & frigida; & sicca; &, calida, sicca; &, calida, humida; & frigida, humi-

Auer. 1. De anim.

Gal. in de ocul par. 3 cap. 2. Ia

Gal.

da; &, frigida, sicca; &, symmetra, seu temperata; Tertiò humores quatuor, bilis, sanguis, pituita, melancholia; Quartò partes; uidelicet, uel principales quatuor ut, cerebrum, cor, hepar, testes; uel, ab his originem habentes, ac eisdem subministrantes; sicuti; nerui; qui cerebro, & propriam acceptam originem referunt, & inseruint; arteriæ, quæ item cordi, uenæ, quæ iecinori; seminariaq́; uasa, quæ testibus; uel, neque alias gubernantes, neque ab aliis gubernatæ; quod quidem, insitas à natura, potentias, à quibus reguntur, habeant; ueluti, chartilago, os, copula, membrana, adenes, adeps, caro simplex; uel, insitas simul, & aliunde emanantes, potentias habentes; quales aliæ; Quintò uirtutes tris. Sunt autem hæ; tum quidem animalis cerebri; & sensitiua, uisus, auditus, olfactus, gustus, tactus; & intellectiua, imaginans, cogitans, conseruans; & uoluntariè motiua motu; uel circulari, qui simplex uel erecto, sursum, deorsum, ante, retro, dextrorsum, sinistrorsum; tum uitalis cordis pulsatiua, tum naturalis iecinoris; aut generatiua, maris fœminæ, androgyni; aut nutritiua, attrahens, continens, concoquens, excernens; aut augmentatiua in longum, latum, profundum; Sextò Spiritus, itidem tris; uel animalis, uel uitalis, uel (sidetur) naturalis; septimò operationes; Hæ autem; ad proprios singularum uirtutū, actus,

Gal. Gal. Gal. in lib. art. m. 9. Gal. Gal. Gal. in De ocul. part. 3. cap. 2. Gal. itid.

actionesue, referuntur; ueluti; &, sensatio, uisio, auditio, olfactio, gustatio, tactio, imaginatio, cogitatio, conseruatio, uoluntaria motio; & pulsatio; &, generatio, nutritio, attractio, retentio, concoctio, expulsio, augmentatio. Has septenas res naturales & quatuor aliæ subsequuntur. Sunt autem hæc; tum ætates, infantia, pubertas, adolescentia, consistentia, senectus; tum colores, albus, pallidus, rubeus, rufus, niger; tum figuræ, recta, gibbosa, sima, resima; tum sexus, masculinus, fœmininus, androgyneus. Tot itaque sunt res ipsæ naturales. Demum autem Res non naturales; quas utique causas, necessariò nostrum corpus alterantes, Galenus appellat; sex tantùm sunt; uidelicèt; Aer, nos ambiens; Motus, & quies; Somnus, atque uigilia; Ea, quæ assumuntur; ea; quæ, excernuntur, ac retinentur; & Animæ affectus. Postremò uerò res præter naturam sunt tres, morbi causa, morbus ipse, & eius symptoma. Vt autem ad propositum hæc iam reducantur; dico; quòd ex naturalibus (siue septem, siue undecim, ex iam dictis sint) rebus; sola quidem nostro huic deseruiet proposito quinta, id est uirtutes, eque uirtutibus ipsis sola uitalis. Hanc etenim solam; quàm reliquas omnes, ob omnium maximam sui necessitatem, intendere, ac tueri, magis debemus iuxtà Galeni illud. Maxima quidem est cordis officij dignitas, atque ægrotantibus omnium

Gal.

Gal in De ocul. part. 3.cap. 2.

Gal. in lib. art m. 85.

Gal. in De ocul. part. 3.cap. 2.

maximè necessaria. Cerebri uerò ad uitam quidem par est momentum. Non tamen par eius robur in ægrotis requirimus; Cùm necesse omnibus non sit, neruorum, ac musculorum; opera uti. Itaque abundè fuerit, si tantum eius seruatum sit, quo respirationis munus sit obeundum. At uerò iecinoris opus, omnibus particulis pernecessarium est, non tamen adeò saltèm perpe-

Gal 7. meth. 13.

tuam necessitatem habet sicuti ipsius cordis. Ex rebus autem sex non naturalibus sola eidem huic proposito quinta subministrabit; idest; ea; quæ, excernuntur, ac retinentur; siue, inanitio, atque repletio. Ex præternaturalibus uero trinis rebus sola utique secunda, qui morbus est, epicratico huicmet sermoni ex usu fuerit. Prætereà adhuc supponamus; quòd & primariæ Medicinæ partes aliàs sunt quinque. Sunt autem hæ, Φυσιολογικὸν, ἢ ἑ φυσιολογική, quæ de ægrotantis, natura, seu temperie, differit; Ἀιτιολογικὸν, ἢ ἑ παθολογική, quæ morbi; tum causas; tum, symptomata, id est signa, perquirit; Ὑγιεινὸν, ἢ ἑ ὑγιεινή, quæ sanitatem tuetur; Συμειωτικὸν, ἢ ἑ συμειωτική, quæ præsagia explicat; nec non Θεραπευτικὸν, ἢ ἑ θεραπευτική, quæ eorundem morborum curationem exequitur. Huius uerò tres sunt particulæ; prima, Διαιτικὸν, ἢ ἑ διαιτητική, quæ uictu medetur; secũda, Φαρμακευτικὸν, ἢ ἑ φαρμακευτικη, quæ medicamentis; ultima Χειρουργικὸν, ἢ ἑ χειρουργική, quæ manu me-

detur. Ex his igitur omnibus ſolam nobis hic aſciſcemus therapeuticen. Eque tribus eius particulis ſolas (chirurgica reiecta) diætetice̅, & pharmaceuticen, depromemus. Siue igitur; illinc, naturales, non naturales, ac præternaturales, res; ſiue hinc, phyſiologicen, ætiologicen, hygiinen, ſymioticen, therapeuticen; ac eius, diæteticen, pharmaceuticen, & echirurgicen; in animo habeamus; profectò ſolis hîc à nobis erit circa; tum, uirtutem, ſcilicèt uitalem; tum ea; quæ, excernuntur, ac retinentur; hoc eſt, inanitionem, ac repletionem; tum morbum; tum, diæteticen, & pharmaceuticen; laborandũ; ut præſcripto ſatis quæſito faciamus. Vt erga uitalem uirtutem, diætetica; in cacochymicum uerò morbum pharmaceutica; tàm opportunè, quàm debitè; condirigantur. Vt uerò ad propoſitum hæc iam dedigantur; dico; quòd medicatoriæ indicationes ſunt tres; à, morbo, temperamento, & aëre; ſumptæ. Cùm autem id genus indicationes unà concordes fuerint; facile profectò Medicis erit affectus curare. Cùm uerò (ut in epicratico hoc noſtro propoſito eueniet) hæ inuicèm pugnauerint; contra difficile. Nam Galeno teſte indicationum in repugnantijs incerta eorum ſuccurrendi ratio eſt. Quandocunque igitur; illinc uirium imbecillitas; hinc κακοχυμία; hoc eſt humorum, corruptela, ſeu malitia, ægrotantem ſimul afficiunt; ego quidem ea medicinali curatio-

Gal. in introduct. cap. 7.

Gal. 9. meth. 14.

Gal. inibi. 10.

ne ei manum porrigerem; quam, & Galenus, & Græci omnes, uocant ἐπίκρασιν; quaque in Gal. ibid. therapeutica methodo Galenus ipse est usus. Vt autem hoc, debita, solitaq;, fide roboretur; ulterius subdendum est (quod quidem, & latiùs in meo de, experientia, ac ratione, libro monstratum est) duplici nos medio posse; tàm medicinales; quàm reliquarum, artium, & scientiarum; intentas, monstrare, & demonstrare, conclusiones; utique, experientia, ac ratione. Sic nanq;; huic astipulatus est quodam loco Galenus. Experientia, & Ratio; omnium, quæ in Gal. 1. De dieb. d. in fin. medicina disquiruntur, sunt Iudices. Item alibi. Omnia, quæ in quæstionem ueniunt; duo inuentionis obtinent organa; nempe, rationem, & Gal. in De cur. r. p S. m. a. c. q. R. d. experientiam. Idque, cùm in artibus omnibus, tùm per omnem propè uitam. Alio itidem loco. Quæ fidem his faciunt, quæ rectè sunt inuenta; duo quidem sunt apud omnes homines instrumenta; nempe, ratio, & experientia. Tametsi autem præter has duas, nullum quidem Gal. 1. meth. 3. & 3. meth. 2. aliud nobis existere asserendarum conclusionum organum, sæpe Galenus affirmat; hæc dicens. Rerum duplex est cognitio (nec potest addi ratio tertia) altera per experientiam, altera per Gal. 3. meth. 1. ipsius rei naturam; Item Præter, experientiam, & rationem; tertium sanè, quo iudicet; neque in alia quapiam arte à medica, neque in ul- Gal. 4. meth 4. la uitæ parte; quisquàm habet; Tamen (ut mea

ſententia fert) etiam aliud quodpiam tertium in rei ueritate datur ; & rationis , & experientiæ ; in corroborandas concluſiones fulcimentum. Eſt autem id, præſtantßimi, illuſtrißimiq́ue, & probatißimi alicuius in arte , uel ſcientia (qualiſcun ue ea ſit, factiua , actiua , aut theorica ;) uiri ſententia , quam autoritatem recentiores notant . Tales autem, uiri , ſiue Autores , ſunt ; Primò in factiuis ; tum medicinalibus , Hippocrates , & Galenus ; tum militaribus, europeus Cæſar , Africanus Annibal , Aſiaticus cyrus ; tum architectonicis , Cteſiphon , uitruuius ; tum pictorijs Apelles ; tum ſculptorijs , Polycletus , Praxiteles , Phidias ; tum agricultorijs , Cato , Columella, Varro ; ſecundò ; in actiuis , Ariſtoteles , & Cicero ; necnon ; cùm ſocrates , tùm cenſorius cato . Ille quidem , in dicendo , Hic uerò in agendo . præſtantißimi Quod longe ſatius illo exiſtit . Nam in uirtutibus ; ſcire ipſum, parum, aut nihil, eſt ; uti uerò, aut exercere ; plurimùm, immo totum ; ualet . Moralis enim hominis finis ; non ſane morum cognitio , ſed moralis actio ; eſt . Tertiò ; in ſpeculatiuis ; & mathematicis , Archimedes , Archytas , Euclides , Ptolemæus ; in naturalibus , Ariſtoteles , Alexander , Aueroes ; inq́; , ſupranaturalibus , ſeu diuinis ; Plato , Ariſtoteles . Quòd uerò talibus in proprijs cuiusq́ue profeßionibus , audacter , omni-

Cic. in De ſene t.

Ariſt. 2. eth.4.

Ariſt. 1. eth.3.

noq; , credendum ſit ; aſtipulari profectò manifeſtiſsimè uiſus eſt Ariſtoteles. Hic etenim ſic ad uerbum in topicis inquit. Illud magis eligendum eſt ; quod eligit , prudens , uel bonus , uir ; uel ſtudioſi , circa ſingula electi ; quà tales ; hoc eſt , prudentes , boni , & ſtudioſi , ſunt ; uel in unoquoque genere ſcientes ; uel quæcunque , plures , uel omnes , uel omnia (ut in , medicina , uel edificijs ; quæ , plures Medicorum , uel omes) uel quæcunque omnino , uel plures , uel omnes , uel omnia ; ut bonum elligunt . Omnia enim appetunt bonum . Item in ethicis . Videtur in cunctis id tale eſſe , quale ſtudioſo uidetur . Studioſus autem , & prudens , ſimul , hoc eſt idem , ſunt . Videtur enim ; ſtudioſum eum eſſè , qui quidem omnibus honeſtatem præfert . Hinc igitur illud. Precioſa , iucundaque , ſunt illa ; quæ ſtudioſo , ſunt , hoc eſt eſſe uidentur ; talia . Hinc ſecundò & , Pythagoreorum , Peripateticorumque ; illud (Ἀυτὸς ἔφα , hoc eſt κατ' ἐξοχὴν ipſe inquit) quod quidem , illi in Pythagoram , hi in Ariſtotelem ; reijcere ſolebant . Hinc tertiò & aliud Galeni . In alijs autem febricitantibus , urinas , atque excrementa , & uniuerſum corporis habitum , inſpicere oportet ; calorem quoque , & arteriarum motum ; & quæcunque alia præter hæc , Hippocrates , & longus uſus ; inſpicere iubent . Hinc etiam . Q. ille ſcæuola augur , cùm de iure prædiatorio conſuleretur , homo iuris pe-

Ariſt. 3. top. 1.
Ariſt. 10. eth. 6.
Ariſt. 7. eth. 14.
Ariſt. 9. eth. 9.
Ariſt. 10. eth. 7.
Laert. in , Pyth. & Ariſt.
Gal. 1. Ad Glauc. 8.

ritißimus, consultores suos, ad, Turium, & Ca selium, nonnunquam reijciebat. Necnon, diuinißimus, & mathematicarum scientiarum scientißimus, Plato mathematicum problema sibi propositum reiecit ad Euclidem, Mathematicorum omnium coryphæum. Hinc postremò & uulgatißimum illud adagium, cuius ui peritis in arte credendum esse præcipitur. In summa trinis conclusiones organis; hoc est, experientia, monstrari, Ratione demonstrari, necnon probatißimorum autorum sententijs suaderi; me iudice possunt: Vt, siquis interrogetur, cur ignis comburat, isq; respondeat, quia lignum absumit; quia, octonos caliditatis, septenosq; siccitatis, ordines ingenitos habet (calidus enim Aristoteli, quàm siccus, magis est) quia eundem comburere, uel Aristoteles, uel alius eiusmodi Autor, affirmat; sanè, tum experientiæ, tum Rationis, tum sententiæ ui; sanè, cumulatißimè, perfectißimeq;, ab eo responsum me Palæmone fuerit. Harum itaque trium cuiuslibet ui intentum hîc commonstrare meum pro posse conabor, hæc præmittens. Quoniam quidem (ut Philosophi asserunt) homonymia, multiplicifas'ue, non intellectæ, cauillationes pariunt, hominesque fallunt; ideo, prædistinguendæ, & explicandæ; penitus sunt. Hinc igitur Aristoteles. Multipliciter dictis & si nulla differentia ad sermonem; necesse intellectum confusum habere, siquis diui-

Cic. Pro corn. bal.

Arist. 2. gen. 23.

Gal. 1. meth. 5.
Gal 2. De temper.
Gal. 4 De Hip. e. P. d

Arist. 1. so multipliciter pro indiuiso utatur. Quamob-
cat. 100. rem, tum uitalis uirtus, tum cacochymia, de quarum utraque sermo faciendus hîc est, in pro prios quidem intensionis sunt ob eius multiplicitatem, ordines, seu gradus; prædistinguendæ. Etenim, cùm non omnia parem uim habeant;
Gal. 3. tem sed, alia intensiorem, alia remißiorem, quam
per. altera, alia alteri æqualem, ordinem habeant;
Arist. 5. nam inter, plus, & minus æquum est, ac me-
ethic. 7. dium; porrò & uitalis ipsa uirtus, alia magis, alia minùs, quàm alia debilis, est; alia uerò æqualis alteri imbecillitatis; est. & cacochymia pariter; una est quàm alia, magis, minus'ue, intensa; alia uerò æqualis ut altera intensionis existit. Elici autem id genus distinctio ex Galeno potest, sic ad uerbum dicente. Nempe; in uirtutis, tum robore, tum infirmitate; magis, & minùs, ualdè inuicèm discrepant. Sic morbi quoque, discrimina, differentiasq́;, coniicere opor-
Ga. 2. reg. tet. Vt itaque; præmisso, tum uirtutem, alte-
a. 36. ram imbecillem, alteram imbecillimam; tum cacochymiam, aliam intensam, aliam intensißimam, esse; de prioribus, hoc est de positiuè, & imbecilla uirtute, & intensa cacochymia; piùs eloquar (de posterioribus enim; hoc est de superlatiuè, tàm imbecillima uirtute, quàm intensißima cacochymia, posteriùs sermo fiet) dicendum equidem autumo; quòd si, maximum, præstantißimum, atque optimum, nactæ hæ fuerint

Medi-

Medicum; sanari possunt. Præstantißimus autem, atque optimus, quis nam sit Medicus; exactißimè quidem insequenti iamiamque dicetur capite. Gal. 9. meth. 10.

DE POSITIVE ET IMBECILLAE VIRTVTIS, ET INTENSAE CACOchymiæ curatione.



DICTVM iam in superiori capite cùm sit, cacochymian, & uirium imbecillitatem; maximo, præstantißimo, atque optimo, opus habere Medico; determinandũ ideo nunc est quisnam, eiusmodi, talisq;, sit Medicus. Talem igitur eum esse constat; qui quidem sit, non empiricus ut, Philinus, & Heraclides; nonq; methodicus ut, Themison, ac Thessalus; sed, dogmaticus, & rationalis; ut, Hippocrates, Galenus, Diocles, Praxagoras, Herophilus, Erasistratus, Mnesitheus, Asclepiades, Cienus, Plistonicus, Philotimus, ac id genus alij; quondam fuêre. Dogmaticus autem, ac uerè rationalis, ille quidem est; necnon, Hippocrati, Galenoq;, similis; qui, natura prudens, ac in omnibus exercitatus, est; qui, experientia, ratio-

Gal. in introd. c. 4. Gal. 3. cris. & 8. de Hip. e. p. d. Gal. 8. meth. 9.

Gal. 3. meth. 1. *neq́:, pollet; qui, priùs uera methodo congrua morbi remedia inuenit, posteriùs uerò & experientiæ fide ei subscribit; qui, & methodo naturas dignoscit; &, quæ'nam cuiusque morbi remedia sint, coniectura iam consequutus est; qui, medicæ materiæ copiam, & congruũ eius usum, percallet; qui uiam omnem eousque digno luit, ut ipsum consequi destinatum finem queat; qui, prudens est, ac diligens, menteq́; exercitatus; qui, accuratè laborantis naturam à primo ortu cognouit; &, ex qua nunc causa laboret; ac per multas rationes, ad minimam usque cognitas, euidentes similitudines; &, quæ dißimilitudines esse uidentur, speculans; reliqua necessaria bene inuenit; qui, in medendi methodo exercitatus, remedia inuenit, & inuentis rectè utitur; qui, exquisita ratione ægri cognoscens affectionem; tum quosdam affectus prohibet; tum quorundam magnitudinem uetat; tum omnibus rectè, prospicit, ac præcauet, quemadmodùm bonus Gubernator per futuram tempestatem; qui, generosus, atque hippocratica dignus existens arte; futurum morbi statum præcognoscit; cùm quidem omnem uictus rationem; ad ipsum, tanquàm ad, polum, signum'ue, inspiciens, instituat; qui denique, & multa speculatione utitur; &, exquisita, laboriosaq́;, in operibus exercitatione. Sed, quis'nam talis esse Medicus unquam poterit? Ille profectò; qui occasionibus tempestiuè*

Marginal notes: Gal. 6. met. 2. — Gal. 3. meth. 7. — Gal. ubi sup. — Gal. 6. meth. 2. — Gal. 14. meth. 17. — Gal. 6. epi. 3. com. 19. aph. — Gal. 6. meth. 1. — Gal. 1. progn. 3. — Gal. 3. de cris. — Gal. 2. de cris. — Hip. 1. aph. 1.

arreptis (hæ nanq; Hipp præcipites sunt) ægrotantem ipsum; tum, paulatim; hoc est, parum, ac sæpè, exhibens; conuenientibus, proprijsq;, nutrit alimentis; tum (quòd noxiorum humorum, & quantitati uacuatio, & qualitati purgatio, debeantur) conuenientibus itidem, ac proprijs, ab eis; paulatim, idest, moderatis, & crebris, & pharmacis expurgat, & sanguinis mißionibus uacuat; cùm scilicèt plethoria in cacochymiam iam transfugit, sanguine quidem ipso præternaturali, uel calfactione in flauam bilem, uel adustione in atram, uel refrigeratione in pituitam; iam commigrante. Constat enim, microcosmicos ipsos quatuor humores esse megacosmicis quatuor elementis analogos, horumq; modo illorum unum in alium transmutari, symbolumque inuicèm habentium faciliorem inuicèm transitum esse. Faciliùs enim, ignis in aërem, aër in aquam, aqua in terram, terra in ignem, transmutantur; contraq;, terra in aquam, hæc in aerem, hic in ignem, hicq; in terram, ob qualitatum alterius similitudinem transit; quàm, uel ignis in aquam, uel aër in terram, uel contrà terra in aërem, aqua'ue in ignem, propter omnimodam in ambabus qualitatibus dißimilitudinē. Non tamen, sicuti elementorum quodlibet, uel promptiùs, uel ægriùs, in aliud conuertitur; ita pariter & quilibet nostri corporis humor in alium, tàm dißimilem, quàm similem; transmu-

Gal. 2. aph. 17.

Gal. 2. reg. a. 30.
Gal. in introd. c. 9. & 8. de Hip e. p.d.
Arist. 2. de gene. 25 26. 34.

tari quit. Tam etsi enim, & pituita in sanguinem, & contrà sanguis in pituitam, ob humiditatis similitudinem; & sanguis in flauam bilem obsimilitudinem caliditatis; facilè transeunt, & sanguis in bilem atram (licèt in nulla sint qualitate similes) & flaua bilis in atram obsimbolum siccitatis; non tamen contrà, uel atra in flauam, uel flaua in sanguinem, uel atra in eundem; redire queunt iuxtà Galeni illud. Pituita temporis processu, coquitur, tanguisque efficitur, neutra bile in sanguinis substantiam redire ualente; cùm, ex sanguine quidem, plus calfacto, flaua bilis generetur; ex eodem uerò, assato, adustoq;, atque etiam ex crasso; atra.

Gal. 2. reg. a. 30. *Quò itaque ad rerum; tum naturalium quintam, quæ uirtus est; tum non naturalium pariter quintam, quæ eorum, quæ, excernuntur, ac retinentur; hoc est, inanitionis, ac repletionis, existit; tum therapeuticæ primam, quæ est diætetica; sanè, cùm, Artificis, seu Medici, sit; modicè alimentorum incrementum moliri; neque intempestiuè, neque, subitò, & affatim, implere;*

Gal. in de hum. n. cõ. 2. par. 2. *primò ex Galeni sententia monstratur; par esse; talibus, à te mihi iam propositis, affectibus, uidelicèt, tàm uirium imbecillitate, quam cacochymia, laborantes; parum, ac sæpè, nutrire; hæc quodam loco, dicentis, ac præcipientis. Imbecillitas, sæpiùs quidem, sed paulatim; cibandum indicat. Item alibi. Si ualidæ uires fue-*

Gal. 2. reg. a. 36.

rint, sæpè, & multa; si uerò imbecilles, pauca, ac sæpiùs; afferemus. Itidem inibi. Si; uires laborantis debiles fuerint; & ea, quæ in corpore est, dispositio, sit ex humorum, corruptione, uel defectu; parum alimenti, & sæpiùs; talibus afferemus. Et alibi. In, humorum corruptela, ac uirtutis imbecillitate; paulatim quidem, quod salubre est, pro eo reponere oportet. Secundò eadem conclusio experientia uel facilè sic commostratur; quòd, multùm, ac sæpè, uel saltèm, multùm, & raró, nutrientibus; haud quidem salubriter curationem succedere iugiter uideamus. Eiuscemodi enim rei quo tidie sensatißima quorandam empiricorum nobis, etiam intueri nolentibus, offeruntur exempla; gallico laborantes affectu per guaiaci ligni, ex uino decocti, exhibitionem curantium. Hi nanque, & carnes, & uinum, talibus affatim exhibentes; unà quippe misellos tandem, uel interimunt, uel in deteriorem lapsum distrahunt. Quòd siquis fortè ex tali calamitate pristinam quandoq; redigatur ad sanitatem; non quidem id, empiricæ, seu irrationalis, eorum curationis; sed naturæ potiùs ui; ut plurimùm euenire solet. Hæc nanque opifex; Medicus autem, non ex se opifex, sed, eius minister; existit. Nam, ex Medico medicamina, ex Natura totum, sanitatis, negocium; pendent. Ipsi autem Empirici ex ignorantia sibi laudem acquirunt. Vt

Gal. 1. aph. 17.

Gal. ubi supr.

Gal. 9. meth. 10.

Gal. in art. m. 87.

Gal. de ren. a. d. & m.

proinde uerum Galenus enunciauerit, asserens, aliquos (ut Hippocrates inquit) esse, qui ex eo, quod ignorant, non parum lucri faciant. Adde & nos ob uirium, cùm naturalis, tum uitalis, fortitudinem per hyemem quidem, multùm, & raròd (quia tantum bis in die) salubriter comedere; parum autem, & raròd, insalubriter. Contrà uerò ob earundem imbecillitatem per æstatē, parum, ac sæpè; quàm, uel, multùm, & sæpè; uel, multùm, & rarò; salubrriùs edere. Hinc enim illud. Aestate, & autumno; cibos difficillimè ferunt. Hyeme facilè. Secundum locum uer habet. Tertiò & ratione idem condemonstratur. Nam ideo sanè parum alimentitalibus est propinandum; quia uirium imbecillitas non potest totam simul alimenti sufferre multitudinem. Sæpiùs autem id exhibendum ideo est; quoniam multis indiget dispositio. Defectus siquidem exigit adiectionem. Corruptio uerò contemperamentum. Quasobres sic ad uerbum inquit, Dogmaticorum post Maximum Hippocratem optimus, Galenus. Ob uirtutis debilitatem, pauca, & ea sæpiùs; assumes. Pauca quidem debilitatis uirium gratia. Nam; onus ferenti conueniat, oportet. Sæpiùs uerò; qua necessitas urget. Quàmuis autem exemplis in demonstratiua doctrina non sit utendum; rebus tamen, quæ non nisi ad alterum collatione intelliguntur, eis quidem uti interim possumus. Eis

Gal. 11. meth. 15.

Hipp. 1. aph. 18.

Gal. inibi 17.

Gal. ibid.

Gal in de rin. a. d. e. m.

Auerr. 1. phy. 81.

etenim res, cognitu haud faciles, non difficilè manifeſtantur; præſertimque talibus quæ proprio intuitu nos ipſi quotidie, inſpicimus, atque uſurpamus. Quotidie igitur, experiri, & uidere, poſſumus; æqualis roboris iumentorum; (nam onus ferenti conuenire hæc oportet) alterū quippe noningentarum librarum, ſalmæ, ſeu ponderi, neceſſariò ſuccumbere; alterum uerò, eandem ſalmam, idemque pondus, uel facilè, cùm ſubſtinere, tùm quolibet conuehere; ſi quidem, & in coæquas tris partes noningentas ipſas libras diuiſeris, & trecentas tantùm in ſingulas ei uices libras impoſueris. & hæc de; uitalis uirtutis imbecillitate; deq; his, quæ, excernuntur, ac retinentur; ſeu, inanitione, & repletione; & diætetica. Quò uerò ad; tum naturalium rerum quintam, quæ uirtus eſt; tum præternaturalium ſecundam, qui morbus exiſtit, ſeu cacochymia; tum therapeuticæ ſecundam, quæ pharmaceutica, ſiue purgatio; pariter quidem ut ſuperiùs; primùm Galeni teſtimonio ſuadetur, eundem ægrotum; hoc eſt, uirium debilitate, cacoquechymia, coafflictum, parum, ſeu moderatè; ac ſæpè, eſſe expurgandum; hæc habentis. Porrò; in alijs continentibus febribus, quæ ex meatuum ſtipatione accenduntur, quoniam præualida plerunque uirtus eſt, citrà periculum uacuatio adhibetur; in alijs uerò morbis maximè eſt periculoſa, ueluti (ſi ea fortè incidit) in hu-

Auer. ubi ſupr.
Auer. 2. de ani. 159.
Gal. 9. meth. 4.

Gal. 9. met. 10. morum corruptela. Oportet nanque paulatim, quod uitiosum est, uacuare. Demum autem commonstratur experientia. Nam talium, taliter expurgatorum, ægrotantium, nonnullos utique, id est aliquos (licèt paucißimi hi sint) pristinam in sanitatē pedetentim redigi quotidie est uidere. Cùm tamen; aliter; idest uehementibus, cùm raro, tum sæpè, expurgati pharmacis; in mortē quidem omnes uel facilè dilabantur. Postremò uerò & ratione id demonstratur; ex Galeno; mihi quidem, & perpetuo, & fidißimo, Duce; audacter sumpta. Hæc autem duplex est. Prima. Purgatio est humorum, qui sua qualitate molestant, euacuatio. Quemadmodum euacuatio eorum, qui molestant quantitate. Vt proinde, purgatio cacochymiæ per pharmaciam, euacuatio plethoriæ per phlebotomiam; apud Gal. propriè sint. Sicuti igitur, ubi multa euacuatione opus est, uerùm, quòd uires imbecillæ sint, euacuationem partiri in plures uices, oportet; ita etiam, ubi multa opus est purgatione, uerùm, quòd debiles sint ægroti uires, purgationem quidem ipsam in plures oportebit dispertiri uices. Consequentia patet; nam eamet, de purgatione, quæ de uacuatione; deque pharmacia, quæ de phlebotomia; ratio militat. Alia itidem ratio est enthymematica. Medicamenta quidem omnia, quæcunque purgant, uentriculum lædunt. Igitur, imbecille pharmacum parum, fortius ma-

Gal 1. aphor. 2.

Gal. de cu ran. r. p. s. m.

gis, ualidißimum maximè; cum lædunt. Antecedens ex Galeno elicitum est. Consequentia uerò ipsa ex Aristotele est deprompta iuxtà uulgatum eius locum (si magis sequitur magis; ut, si uoluptas bonum; magis, seu maior, uoluptas, magis, seu maius, bonum) Non itaque, aut ualidißimo, aut fortiori, sed imbecillo, talis æger est pharmaco purgandus; nè debilis ipsa, cùm uentriculi, tùm cordis, uirtutes illorum ui penitus extinguatur (quæ sanè; & unam rem semper indicat, utique sui custodiam; & omniũ prima custodienda hominibus est) Ac, nè afflicto superaddatur; afflictio huius uirtute in meliorem denique ualetudinem patiens ipse redigatur. Siquis autem obijciat; imbecille ipsum pharmacum (ut monstratum nunc est) parum lædere; igitur, & lædere, & quòd lædat, propinandum neque etiam tale esse; Medici nanque finis, non quidem noxa, sed iuuamen, ac sanitas; est. Dicerem (iuxtà uulgatam illam Galeni methodũ) maiorem sanè fore, ex noxiorum humorum euacuatione, utilitatem; quàm illud sit, quod necessariò consequitur ex, talibus, taliterq;, purgantibus, medicamentis, detrimentum; ut, à uincenti, adq; plurimo, siue superabundanti; denominatio fiat. Difficile enim & Galeno est, eiusmodi aliquod auxilium inuenisse, quod citrà ullam noxam magnificè prosit. Et Aetio difficilißimum omnino existit; remedium inuenire,

Gal. in lib. Quos p. e. q m. e. q. 8.

Arist. 2. topic. 26.

Gal. 9. met. 12. Gal. ibid. 13.

Obiectio.

Gal. in A thrasib. Responsio.

Gal. 1. aph. 24. Gal. 8. meth. 2. Arist. 1. phys. 37. Gal. 11. meth. 11.

Aet. lib. 5. cap. 75. Gal. 2. met. 7. *quod, nihil lædant, & multùm conferat. Vt autem è simplicibus in composita prodeam (illa nanque his sunt priora) iuxtà illud. Medendi methodus ad hunc modum bellißimè procedit; si, de singulis simplicibus seorsum præceperimus, post deinde de compositis omnibus alteram aliquam methodum indicauerimus)* Gal. 3. meth. 4. *Geminas equidem, præter iam conscriptas simplices, adhuc subdo; utrique id est, tàm diætetica, quam pharmaceutica, communes, rationes; alteram ex Galeni Minerua, alteran ex propria mei ipsius mineruula. Quæ ex Galeno elicita est; talis sit. Cùm meditæ indicationes contrariæ inuicèm taliter sunt; ut, altera plurimum ipsum noxium humorem uehementibus educendum medicamentis, altera intensæ uirium imbecillitati multa alimonia succurrendum, indicent; profectò, neque illinc ualidis noxius ipse humor pharmacis unica tantùm uice educendus est; nè talia debilem ipsam facultatem, opprimant, ac enecent; sed, tum imbecillis, tum pluries; uel, pluries, ualidis; horum scilicèt parum in singulas exhibendo uices; neque hinc, multis, & crebris, ipsa fouenda est uirtus alimentis; nè eandem talia suffocent; sed, paucis, ac frequentibus. In huius uerò rationis fidem Galenum auscultato, hæc ad uerbum dicentem. In humorum corruptela; quod corruptum est, id alienum à natura est; quod tale est, id se auferendum dictat. Si igi-*

tur cum uiribus imbecillis corruptela incidit; utique, quod affectus remedium eſt, id cum uirtutis cuſtodia pugnat. Siquidem affectus uacuandum eſſe præcipit; idq́ue, uel uena inciſa, uel purgatione. Harum autem neutram ferent imbecillæ uires. Quoniam igitur in omnibus eiuſmodi repugnantijs incerta ſuccurrendi ratio eſt; alià quidem inſanabilis omnino affectus relinquetur; alià, longo ſpacio, & ægrè (idq́ue ſi magnum nactus ſit Medicum) ſanari poterit. Oportet nanque, ubi indicationes ita ſibi aduerſantur; paulatim, &, quod uitioſum eſt, uacuare; & quod ſalubre eſt, inuicèm pro eo reponere. Vocant Medici eiuſmodi uitioſi ſucci curationem græcè ἐπίκρασιν. Hæc Gal. Quæ uerò ex me ipſo eſt excerpta, ratio; ſit talis. Græca hæc dictio (ἐπί) maiorem quandam præſe in compoſitione rei, cui adiungitur, apud Græcos ferre ſignificationem ſolet. Apparet autem hoc in græco hoc uerbo (ἐπικρύπτω) ex (ἐπὶ) & (κρύπτω) concinnè compoſito. Cùm nanque (κρύπτω) ſignificet, abſcondo, tego, in arcano habeo, arcanum teneo; ſanè ἐπικρύπτω ſignificat, ualdè abſcondo, intenſè tego, ualidè in arcano habeo, magnoperè arcanum teneo. Vt in ſumma græca dictio (ἐπὶ) idem ſit, quod latinæ hæ (per, ualdè, intenſè, & ſim) Pariformiter igitur (ut ad propoſitum hoc redigatur) in græca hac dictione (Ἐπίκρασις) dictio (ἐπὶ) alte-

Gal. 9. meth. 10.

Λ'ξιν.

rius, ſibi iunctæ, dictionis (κρᾶσις) inaugebit ſignificationem. Vndè; cùm (κρᾶσις) temperamentum denotet; ἐπίκρασις quidem ualde (ut ita loquar) temperamentum, hoc eſt ualde temperatum, ſeu ualde, & intensè, temperanter; ſignificabit. Nam in tali abigendo affectu; ideſt in cacochymia, cui uitalium uirium imbecillitas coniuncta ſit; bellè, ſalubriterq́;, curanda, ſiue abigenda; adeò quidem (ut ſuperiùs monſtratum eſt) temperatè, ſeu moderatè, à Medico eſt, agendum, ac medendum; ut, neque plus, neque minùs, æquo; ſed, parum, ac ſæpe; ab ipſo, & nutriatur, & purgetur; æger. Huic quidem opinioni clarè, tum Galeni quodam loco uerba, tum alterius huius, penè ſimilis, dictionis (ἐπίκρουσις) etymologia; coaſtipulari, coannuereq́;; uidentur. Nam Galeni uerba talia ſunt. In, humorum corruptela, ſeu κακοχυμία; oportet, ubi indicationes ſibi aduerſantur, paulatim, &, quod uitioſum eſt, uacuare; &, quod ſalubre eſt, inuicèm pro eo reponere. Vocant Medici eiuſmodi uitioſi ſucci curationem, ſcilicèt; in qua paulatim, tum nutriunt, tum purgant; græcè ἐπίκρασιν. Ε᾿πικρούσιος δέ ἐτυμολογία, hoc eſt Epicruſis uerò etymologia; talis ſit. Ε᾿πίκρουσις dicta quidem eſt ab (ἐπὶ) ut ſupra; & (κροῦσις) pulſatio; quaſi, ualde temperata, ſeu ualde moderatè adminiſtrata; pulſatio. Antiquo enim, galenicoq́;, tempore; puerorum man

Gal. 9. meth. 10.

gones eorum membrorum gracilitatem (si quando graciles eis occurrissent) moderata quadam ac ualde tẽperata, ferulari uerberatione in crassitiem distrahere soliti erant iuxtà Galeni illud. Quibus pueris, à natali die gracilia quædam sunt membra; ijs quidem eorum, Magones hoc ipso præsidio succurrunt unà cum certa percussione, quam græcè ἐπίκρουσιν uocant. Est porrò & illius mediocritas quædam; ut scilicet, nec plus iusto, nec minùs; fiat. Ea talis est. Ferulas, paruas, ac leues, modicè illitas; gracilibus partibus incutiunt, donec modicè attollantur. Quippe in hoc summa rei est, ueluti Hippocrates de aquæ calidæ perfusione dixit. Hæc Gal. Epicrasis itaque propriam quandam in, nutritione, & purgatione; quemadmodum epicrusis in tali uerberatione; moderationem præsefert. Non igitur; uel, multa, & raro; uel, multa, ac sæpè; uel, pauca, & raro; sed, pauca, ac sæpè; à Medico sunt eiuscemndi affectibus laboranti, tam nutrimenta, quàm pharmaca; exhibenda. Vel fortasse in græca hac dictione (ἐπίκρασις) eodem modo abundat dictio (ἐπὶ) quemadmodùm & in dictione (ἐπ' ἔμος) Nam; & αἶμός idem est, quod grauis; & ἐπ' ἐνός idem pariter, quod grauis existit. Idem igitur, ἐπίκρασις, quod κρᾶσις; referet. Cùm itaque κρᾶσις temperamentum significet; pariter quidem & ἐπίκρασις idem significabit; hoc est tam in ali-

Gal. 14. meth. 16.

mentorum, quam in medicamentorum, exhibitione; temperationem, seu moderationem. Iam igitur; & sententia, & experientia, & ratione, suasum, monstratum, ac demonstratum, sit; cacochymian, uitalium imbecillitati uirium coniunctam, per epicrasin; hoc est per, modicam, ac crebram, alimentorum, ac medicaminum, moliendam exhibitionem esse. Quæ quidem, & à te mihi proposita, & à me hîc intenta, tibique conscripta; conclusio fuit. Cæterùm; ut aliqua præter propositum huc ô gentilißime Vir Gentilis afferantur, quibus'nam, qualibus'ue; exactè poterit hoc peragi medicamentis. (Alimenta enim spontè reticeo) sanè medicaminibus, cùm noxium humorem coquentibus, si coctibilis utique sit tùm eundem, iam coctum, purgantibus; ni turgens hic fortassè sit iuxtà Hippocratis illud. Concocta, medicari, atque mouere, oportet; non cruda, neque in principijs, modò nō turgeant. Turgere autem est de corporis parte ad partem humorem ipsum moueri, sic dicente Galeno. Verbum (turgere) translatum est ab animalibus ad humores. Nam; sicuti illa stare loco non possunt; quodammodò, titillantia, atque impulsa, concitataque, à paßione; sic & humores plerunq; in, motu uehementiore, atq; transfluxu, ab una parte ad aliam; in morbi principio hominem infestant; mouentes, fastidientes, titillantes, & quiescere non permittentes; cùm,

Ἀνακεφαλαίωσις.

Hipp. 1. aph. 22.

& ipsi pariter moueantur, & transfluant, & tanto motu ægrum de loco ad locum molestent. Tales itaque humores; hoc est, qui agitantur, deque loco ad locum, mouentur, ac transfluunt; euacuare conuenit. Eos uerò, qui sunt in aliqua corporis parte firmati; neque alio auxilio mouere oportet, neque medicari; ante coctionem. Item alibi. Concoctis rectè medicandum sensit Hippocrates, non crudis, neque per initia, nisi turgeant; hoc est; nisi ad excretionem motus impellatur; & nondum ullam habeat ad unam partem, inclinationem firmam, stationemq;. Si nanque noxius ipse humor turgeat; euestigiò quidem è corpore detrahendus est, Hippocrate hæc alibi subdente. Medicari in ualde acutis, si materia turget, eadem die (tardare enim in talibus malum) priùs uidelicèt quàm, uel robur corporis disoluatur, uel febris caliditas augeatur, aut ad aliquod principale membrum, turgens ipsa materia, hoc est hi, qui per corpus uagantur, humores; decumbant. Cùm autem; tum membra, non principalia, hoc est ministrantia; principalibus; idest, cerebro, corde, iecinore, sint imbecilliora (ab his enim illa; tàm animalem; quàm, uitalem, naturalemq;; necessariò uim mutuantur) tum materia ipsa turgens, non quidem à debilioribus ad fortiora, sed contrà à ualidioribus ad imbecilliora (ut par est) contrudi soleat; iuxtà illud. Su-

Gal. inibi

Gal. 8. de comp m. s. l. 20.

Hip. 4. aph. 10.

Gal. ibid.
Obiectio.

peruacanea in infimas partes confluere, à for-
Gal. 11. meth. 20. *tioribus, solent. Item. Superuacanea; quæ à ualentioribus partibus ob, redundantiam, hoc est πληθῶραν, uel qualitatem, idest κακοχυμίαν, expelluntur; ea in imbecilliores procumbunt;*
Gal. 13. meth. dist. 2. cap. 2. *quo'nam igitur pacto, turgentes eos, qui per corpus uagantur, humores; in principale aliquod membrum decumbere Galenus affirmat? Soluetur autem id genus nodus in meo de Galeni contradictionibus libro; cuius inscriptio. Inuicèm pugnantium, Galeni sententiarum Conciliator. Nunc illò, undè digressus iam sum, pedem referens; dico, quòd, si utique, iam dictis, uirium imbecillitati, cacoquechymiæ, etiam turgens adsit materia; profectò curationem hæ non admittent; actumq;, cùm de Republica, tùm de Imperio; penitus fuerit. Sin autem noxia ipsa materia, neq; turgens, neque per corpus uaga, sit; sed, uel in toto corpore, uel in aliqua eius parte, firmata, ac quieta iam fuerit; sic equidem à Dogmatico peragendum censerem Medico. Quicunque, uel plethoricè, uel cacochymicè, noxius humor ægrotantem afficit; is quidem; aut sanguis existit, aut, tàm flaua, quàm*
Gal. 14. meth. 9. & in de hum. n. com. 1. cap. 6. 29. & in de atra. b. *atra, bilis; aut pituita; aut, serosus humor, siue aqueum excrementum; ut, & melancholiam, & rubram, prasinam, æruginosamq;, biles; hîc reticeam; de quibus pluribus agit in locis Galenus. Quòd uerum illud sit, sic idem asserit. Vbi*

æqua-

æquabiliter inter se succi sunt adaucti; id, & πλῆθος, & πληθώραν, Græci uocant; nos, plenitudinem, & succorum redundantiam; dixerimus. Vbi uerò, uel flaua bili, uel nigra, uel pituita, uel serosis humoribus, refertum corpus iam fuerit; eum habttum, κακοχυμίαν, quasi succorum uitium dicas, non plethoram; nominant. Si igitur sanguis ægrotantem afficiat; planè, uel quantitate, hoc est plethoria; uel qualitate, idest cacochymia; eum afficit, hæc dicente Galeno. Fit sanguis naturæ inutilis bifariam; uel, cùm ita multitudine creuit; ut, aut uires premat; aut, tum uenas, tum arterias; distendat, findat, aut obstruat; uel, cùm propriam qualitatem ad unguem non seruat; nec ampliùs nutrire sicut priùs, cùm utilis esset; potest. Ergo sanguis, multitudine qui iam creauit, hoc est plethora; tum sanguiuis mißiane curatur, tum frequenti balneo, tum exercitatione, tum frictione, prætereà digerentibus medicamentis, & præter hæc omnia inedia. Sanguis uerò, qui propriam non qualitatem ad unguem seruat; idest cacochymia, de qua quidem hîc sermo fit, siue succorum uitium; purgatione, quæ cuique superanti succo sit accommoda; corrigitur. Eiusmodi igitur sanguis æquo planè magis, uel calefit, uel assatur, uel refrigeratur. Si æquo magis calfiat; flaua quidem ex eo gignetur bilis. Sin, assetur, aduraturq́;; fiet quidem, uel ipse, uel flaua bilis,

Gal. 9. meth. 11.

Gal. 13. meth. dist. 2. cap. 3. & in de constit. a. m.

Gal. ubi supr.

Gal. 2. reg. a. 30.

Gal. ibid.

atra. Si uerò refrigeretur; utique destructa eius caliditate redibit in pituitam, ex qua fortè priùs fuerat genitus. Pituita enim temporis processu, coquitur, sanguisq; efficitur. Quemadmodùm enim in, Megacosmo, seu magno mundo, ex aqua aërem fieri, necessum est, necnon contrà aquam ex aëre (manifestũ nanq; est circularem quampiam in simplicibus quatuor eius corporibus fieri generationem iuxtà Auerrois illud. Non quidem impoßibile est circulariter, ex aere ignẽ fieri, contraq; ex igne aerem) ita & in, microcosmo, seu paruo hoc mundo, ex pituita sanguinem, exq; sanguine pituitam, fieri; par est ob quatuor humorum cum totidem elementis (ut suprà monstratum est) analogian. Cùm itaque; tum quatuor id genus humores, flaua bilis, atra, pituita, serosum excrementum, quatuor utique sint morborum causæ; uidelicèt, &, flaua tertianæ, atra (siue ex fece, siue ex assatione; ea fuerit) quartanæ, pituita quotidianæ, febris; & serosum excrementum aquæ intercutis (ὑδρώπισιν Græci nominant) tum eorundem quatuor humorum uitium, quam κακοχυμίαν ijdem appellant, purgatione, quæ cuique purganti succo sit accommoda, corrigatur; tum denique & purgans medicamentum, aut bilem ipsam, tam flauam, quàm atram, aut pituitam, aut serum, euacuet; profectò horum, & humorum, & morborum, quidam priùs quàm è corpore edu-

Gal. in de plenit.
Gal. inibi
Arist. 2. gen. 25.
Auer. in lib. destr. 3. disp. 18. dub.
Auic. 1. quarti 2. tracti cap. 60.
Gal. 3. de sympt. c. & 8. de Hipp. & P. d.
Gal. 13. meth. 2. dist. 3. cap.
Gal. 2. 6. aphor. 73. 47.

cantur; præeuntem amborum concoctionem desiderant; quidam autem nulla coctione præmissa ueniunt educendi; Galeni quidem, secundarij medicæ Militiæ Ducis, quàm Auicennæ, eius centurioni, maior si sit stratagemati fides habenda. Hi, qui præcoquendi sunt ante purgationem; cùm sane bilis atra, tum pituita; sunt. De talibus enim Hippocrates, affirmans, concocta medicanda esse, non cruda; intelligit. Cùm autem bilis atra duplex utique sit; altera ex flaua superassata bile genita; altera ex crasso, fecaliq; sanguine (quàmuis, illa bilis atra, melancholicus humor hæc; propriè nominentur) utiq; non illa, sed hæc; quòd hæc illa, crassior, & prauior, sit; ad, benignum, idest nutritionem (licet non in rei ueritate, tam facilè, quàm pituita) reduci potest. Hinc enim, μελαγχολικὸς χύμος, seu melancholicus humor, δύσπεπτος, idest difficilè coctilis; à Galeno dicitur. Cùm etiam pituita quadruplex sit, acida, dulcis, insipida, & salsa; planè excepta salsa reliquæ omnes ad, benignum, seu nutritionem; reduci queunt. Qui uerò humores, non præcoquendi, sed nulla præmissa concoctione statim abinitio sunt expurgandi; sunt quidem, & bilis, & serum. Illi nanque ambo per ulteriorem coctionem ad benignum; idest, sanguinem, & nutritionem (ut dictum est) redigi facilè possunt. Horum autem, neque illa, neque hoc; ad talia possunt unquam retrahi. Cùm

Hipp. 1. aph. 22.

Gal. 3. 6. aphor. 22. 53.

Gal. 6. aph. 56.

Gal. ibid.

Gal. in de const. a. m.

Gal. 4. reg. a. 14.

Gal. 1. de hum. n. 30.

nanque bilis, alia pallida sit, alia flaua, alia æruginosa, alia rubra, alia prasina, alia uerò Gal. ibid. 39. atra; planè talium nulla (qualiscunque fuerit) ad benignum unquam reducitur; immo; uel, uomitu, secessu'ue, extra corpus propellitur, siquidem expultrix eius uis fortis extiterit; uel, eadem imbecilla existente, intra corpus remanens, tertianas quippe febras, ac erysipelata, in eo congenerat; uel saltèm à Medico, tum uomitorijs, tum purgatorijs; ex eodem corpore remedijs mittitur. Quòd autem pituitarum, & salsa absque coctione educenda, & acida priùs quàm educatur coquenda, sit; his uerbis græcè Galenus enunciauit. Εἰ δὲ ὁ τοῦ φλέγματος πλεομάζει χυμός, εἰ μὲν ἁλμυρὸν εἶν καθαίρειν: Ὀξὺ δὲ γενόμενον, ἀλλοιοῦν πειρᾶσθαι, συντελοῦντα τῇ φύσει πρὸς τὴν πέψιν αὐτοῦ. Hoc est (ut quidam interpretatus iam fuit) si autem superabundet pituita; si quidem salsa fuerit, purgationem; sin acida, alterationem, moliri oportet; naturam ad eius con- Gal. in de const. a. m. in fine. coctionem iuuantes. Vel (pro alterius cuiusdam interpretatione) si pituitæ humor redundet; salsam purgare, acidam redditam alterare; opem naturæ ad eius concoctionem ferentes; tentan- Gal. ibid. dum est. Vel tandem (ut meæ Mineruulæ fert interpretatio; cùm quidem hi; & uerba quædam reliquerint, & dictionum quasdam minimè proprietates expresserint) si autem pituitosus superabundet humor; si quidem salsus sit, de-

trahere, hoc est purgatione elicere; si autem acutus, id est acidus, seu acetosus, permutare, id est alterare, & concoquere, tentandum est, uel oportet; iuuantes naturæ ipsius ad concoctionem. Quòd uerò; & serosum excrementum; &, tenuis, idest biliosus, humor, etiam ipsi absque coctione sint educendi; contraq́;, crassa, ac lenta, tam pituita, quàm melancholia, sint ante purgationem præcoquendæ; sic ipsemet græcè fuit astipulatus. Ἐν ἀρχῇ μὲν γὰρ τοὺς ὀῤῥώδους τε καὶ λεπτοὺς μενώσεις χυμοὺς, ἀναμενεῖς δὲ πέψιν ἐπὶ τῶν παχέων καὶ πλίσχρων, οἷοι τὴν φήσιν εἰσὶν ὅ, τε τοῦ φλέγματος, καὶ ὁ τῆς μελαίνης χολῆς. Hoc est. Principiò nanque, serosos, ac tenues, uacuabis succos. In, craßis uerò, & uiscosis, cuiusmodi natura sunt, pituita, & nigra bilis; concoctionem expectabis. Vel (ut alius quidam transtulit) si quidem inter initia morbi, tenues, & aquosos; humores euacuabis. Vbi, craßi, & tenaces, fuerint, quales suapte natura sunt, pituita, & nigra bilis; concoctionem expectabis. Vel tandem (ut ego, uerbum uerbo reddens, horum interpreßim) In principio quidem enim, serososq́;, & tenues, succos, uacuabis. Expectabis autem concoctionem in, craßis, &, lentis; quales natura quoque pacto sunt, pituita, & nigra bilis. Tenuis uerò succi nomine flaua quidem ipsa bilis est intelligenda. Nam talem, & calidßimã, & tenuißimam, esse, uult Gal. cùm

Gal. in lib. Quos. p.o. q.m.e. q.t.

Gal. inibi.

Gal. 2. de elem.

tamen atra, & grauißima, & crassa, & moueri contumax; existat. Iam igitur, græcè, & latinè, commostratum sit; qui'nam humores præcoquendi ante purgationem sint, quiq; absque præcoctione euestigiò sint educendi. Sed dixerit quispiam, cùm quidem me, tùm Galenũ ipsum; nænias hic conceciniße. Hic enim quodam loco affirmat, pituitam temporis processu, coqui, sanguinemq; effici; neutra bile in sanguinis substantiam redire ualente; cùm quidem, ex sanguine, plus calfacto, flaua bilis; ex eodem uerò assato, adustoq;, atque etiam ex crasso, atra; Nisi generetur, esset; quòd, cùm (ut dictum iam est) bilis atra duplex sit, uel adusta, uel sanguinis fæx; quarum, hanc, exquisitè, specificoq;; nomine, melancholicum humorem, & melancholiam, nominamus; nominibus uerò abutentes atram bilem aliquando uocamus; quoniam, si non priùs euacuetur, paulo post atra futura est; ibi quidem atræ bilis nomine, non assatam iam bilem, sed sanguinis fecem; Galenus intellexit. Talis enim ob lienis nutritionem, qui eius finis est; coctionem aliquam admittit, etsi difficilem. Non enim ex solo sanguine, (ut, tum Philosophi, tum Medici, quipiam uoluêre) sed ex quatuor humoribus; generationem, augmentum, atq; nutritionem; nostris Hip. ait corporibus esse. Si uerò ulteriùs instans subdideris etiam de sanguinea ipsa fece, seu melancholico humore; melan

Gal. ibid.
Obiectio.
Responsio. Gal. 2. reg. a. 30.
Responsio. Gal. 3. aph. 22.
Gal. 6. aph. 53.
Gal. 2. Ad Gla. 11.
Gal. 2. de elem.
Obiectio.

cholia'ue, Galenum intellexiſſe; cùm quidem & craſſum inibi ſanguinem nominauerit, dicens. Ex ſanguine, aſſato, aduſtoq́;, atq; etiam ex craſſo; bilem atram generari. Ad hoc reſpondeatur, quòd; cùm, melancholicus ipſe, ſeu fecalis, humor, in atram, ſiue aduſtam, bilem, uel facilè tranſmutetur iuxtà Galeni illud (nominibus abutentes & atram bilem melancholicum ipſum humorem uocamus; quoniam, ſi non priùs euacuetur, paulo poſt atra futura eſt) utique craßi ipſius ſanguinis nomine nigram Galenus ibi intellexit bilem; tanquam planè ob proximam eius ut atra fieret potentiã, actu iam foret atra. Nam (ut Auerroes uult) quod ad habendum propinquum eſt; omnino quidem, & haberi, & apud intellectum quaſi habitum, exiſtimat; necnon, cùm aliquid prope generationem eſt, quaſi genitũ iam ſit, reputatur. Sed; miſſa iam hæc faciens; adq́; propria noxiorum quatuor, iam dictorum, humorum; tum, flauæ, nigræq́; bilis, tum pituitæ, tum ſeroſi excrementi, rediens medicamenta; dico, quòd, tàm flaua bilis, quàm ſeroſum excrementum (ſiquidẽ Galeno, ut par eſt, in hæreatur) abſq; ulla ſunt præcoctione purgandæ, ſic (ut iterum ſuperiùs iam dictum eſt) Galeno dicente. Ἐνάρχῃ μὲν γὰρ τοὺς ὀῤῥώδεις, τε καὶ λεπτοὺς μενώσεις χυμοὺς. Hoc eſt in principio quidem enim, ſeroſosq́;, & tenues, ſuccos; uacuabis. Sin autem, Auicennæ, & Arabibus id genus Medicis, fortè

Reſponſio. Gal. 2. reg. a. 30. Reſponſio.

Gal. 6. aph. 53.

Auerr. 2. phy. 56. Auer. 2. rhetor. 19.

Gal in lib. Quos. p. c. q. m. e. q. 2.

(quod tamen non equidem censeo) quàm Galeno potiùs assentias; flauam ipsam bilem præcoquito serapijs, endiuiaceo, ex cichorio ex soncho, ex oxalide (ex acetosæ succo talem uocant) & acetoso simplici; interdumq́; ex uiolaceo, rosaceo, & similibus, tàm, agrestium, & satiuorum; quàm latifoliorum, & angustifoliorum, intyborum; tamq́; sonchi, quàm oxalidis; decoctum illis cõmiscens. Præcoctam autem purgatorijs detrahito pharmacis; hoc est ex simplicibus tum, scammonio, Flauam nanq́; bilem ipsum trahere, liquet. Fistulari casia, Manna. Hæc nanq; ; &, guttur, pectus, uentremq́;, lenit; & sitim sedat; & flauam uel facilè bilem detrahit; tum Arabum Rhabarbaro, Græcis incognito; quod sanè, & pituitam, & flauã bilem, educit; item, stomachum, & iecur; corroborat; tum rosarum succo, tamarindo, flauam eandem bilem subducente; &, tàm huius furorem, quàm sanguinis feruorem, reprimente; iecinorisq́;, & stomachi, inflammationem sedante. tum denique & aliis id genus reliquis. Ex compositis uerò pharmacis educito, Diapruni, ex rosaceo succo electuario, Galeni picra, Rosaceo soluente syrupo; Catapotijsq́;, & aureis mesues, & conferentibus ad biliosa, & picraceis, & simili. Atram autem bilem præcoquito; tum syrupis; ex, capno, seu terræ fumo; ex, lupo salictario, seu lupulis; ex, buglosso, seu boragine; acetoso simplici; ex epithymo; uio-

Gal. in de Ther. a. de Pis.

Mes. in de simp. 9.

Mes. inibi. 5.

Mes. ibid. 7.

Mes. in de simpli. 14. Gal. 14. met. 9.

laceo, similibusq́; ; chamædryos, adianti (ueneris capillum Recentiores uocant) capnij, lupi salicta rij, melissophylli, buglossi, & epithymi, similiũq́;; decocto, syrupis permisto. Concoctam educito inter simplicia, attico epithymo (nam id atræ bilis humorem per aluum purgare cernitur) caprino sero, ueratro nigro (Ἐλλέβορον μέλανον ijdem uo cant) polypodio, sena, sale indo, myrobalanis indis; & inter composita, imperiali cathartico, Hamech confecto, Diasena, Diacatholico; necnon, indicis, ex fumo terræ, exq́; cæruleo lapide (lazulum uulgò nominant) catapotijs. Vltima tamen hæc humorẽ quidem, nondum exustum potiùs adurunt, quam adustum expurgent. Huiusce enim opinionis præstantiss. Franciscus Frigimelius patauinus extitit, Præceptor olim in Medicina meus. Melancholiam, seu melancholicum humorem, idest sanguinis fecem; concoquito; quòd, frigidus, & sicus, ille sit; calidis, atq; humidis, simul permistis; utiq; suprascriptorum nonnullis, quæ huic propriora succo uisa tibi fuerint; & uiolaceum syrupum, & ex uiolis decoctum; commiscens. Cùm eam præcoxeris; corpus ab ea purgato; ex pharmacis, superiùs conscriptis; quæcunq;, propriora, ac potiora, uisa fuerint; exhibens. Pituitam; primùm coquito; tùm, rosaceo melle, ex geminis radiculis serapio, simpliciq́; exymelite; nec non, petroselini, betonicæ, absinthij, similiumq́;, haud ualde aperientium,

Diosc. lib. 4 cap. 187. Diosc. lib. 4 cap. 129. Diosc. lib. 4 cap. 186. Gal. 14. meth. 9. Gal. de Ther. ad Pis. Gal. 14. meth. 9. Diosc. lib. 4 cap. 152.

Gal. 1. temper.

decocto; tum Syrupis ex tribus radicibus, ex hyssopo, ex absinthio, menthaceo; & oxymelite composito; exq;, anethi, prasii, apij, calaminthæ, fœniculi, & similium, decocto; tum denique, & scillino oxymelite, & serapijs, ex eupatorio, ex quinq; radicibus; & bisantino, menthaceoq;; &, eupatorij, hyperici, cassuthæ (cuscutam nominant) origani, calaminthæ, pulegij, reliquorumq; idgenus; decocto. Postremò uerò iam coctam detrahito, ex simplicibus pharmacis, coccognidio (pituitam siquidem hic educit) trochiscato agarico, enico (chartamum uocant) alijsq; similibus. Ex compositis; autem electuarijs; indo; ex dactilis, seu diaphœnico; Benedicta; Diaturpeto; Catapotijsq;, & coccijs, & ex agarico, & fœtidis, ex hermodactilis maioribus, & similibus. Seorsum uero siue aqueum, excrementum; statim, nulla præmissa concoctione, detrahito; Cocconidio (Nam omnem aquosum humorem conspicuè hic educit) chamædry, Ebulo, Illyrica iride, Thalassocrambe (marinam latini braßicam; nostriq; Piceni, ac penè omnes Itali, soldanam, seu soldane ullam; uocant) idq; genus aliis. Cùm nanq; hydropem tale excrementum generet; sanè; tum, decoquitur uiridis chamædrys in aqua, biturq; utiliter decoctum illud cutem incipientibus subire aquis; tum ebuli radix, in uino decocta, subeuntibus cutem aquis auxiliatur; tũ exhibent nonnulli illyri-

Gal. de Ther. ad Pis.

Gal. in de Ther. a. Pis.

Diosc. lib. 3 cap. 103.

Diosc. lib. 4 cap. 168.

cæ iridis radicum, uel decoctum, uel succum, uel pollinem; purgat enim iris, crassa, ac biliosa, pondere drachmarum septem cum mulsa aqua pota; tum deniq; marinæ braßicæ, elixatæ cibus aliorum omnium maximè aluum soluit. Gemina tamen hîc mihi iam iam occurrêre dubiola. Alterum. Si uera cecinit Dioscorides; cur, marinam ipsam brasicam modicè medicamentorum uim obtinere, uoluit Galenus? Alterum. Si, longißima quippe folia marinam ipsam brasicã habere, affirmat Dioscorides; quonam igitur pacto uerum esse poterit (quod quidem, & Piceni, & Ausonii ferè omnes herbarii; dictitant) soldanulam hanc; quam, & illi in adriatico, & hi in tyrrhenico, litore colligunt; ueram saldanellam existere; cùm sanè minutulis quibusdam hæc sit referta foliolis? Si uerò recentiorum quorundã methodi Medicorum inhærere, quàm galenicæ, potiùs uelis; utique; primo serosum, siue aqueũ, ipsum excrementum, concoquito; demum coctum iam purgatorio pharmaco detrahito; postremò; affectum, cùm à medicamentis, tùm à seroso tali excremento, iecur; corroborato. Vtitor autem; ad coquendum syrupis, ex eupatorio, ex cichorio cum rhabarbaro, ac bisantino; eupatorii, cichorii, hyssopi, cassuthæ, similiumq;, illis decoctum permiscens; ad purgandum, chamædry, ebulo, illyrita iride, marina brasica; de quarum uiribus actum iam est; ad corroborandum, rhabarba-

Diosc. lib. I. cap. I.
Diosc. lib. 2 cap. 110.
Dubium.
Aliud.
Gal. 5. de sanit. t.
Diosc. lib. 2 cap. 135.

ri polline; cum, indicæ nardi, uiniq; ; modico. & hæc; de, utriusque bilis, melancholiæ, pituitæ, & serosi excrementi, coctione, & purgatione; deq; positiuè, & imbecillæ uirtutis, & intensæ cacochymiæ, curatione; iam dicta sint.

DE SVPERLATIVE ET IMBEcillimæ uirtutis & intensissimæ cacochymiae cvratione.



D secundam uerò præsentis eiusce negocii partem; id est ad superlatiuè, & imbecillißimæ uirtutis, & intensißimæ cacochymiæ, curationem, iam deueniens; equidem, censeo, & assero; eius modi laborantem affectibus; quòd, in tali, bonum sit minimum, & malum maximum; hoc est, illinc imbecillißima uitalis uirtus eum destituat, hinc ualidißima cacochymia eundem infestet; haud aliter incurabilem esse, quàm nigram olim Iudæ illius scarioth, qui Dominum nostrum tradidit, animam irrecuperabilẽ. Nam & in hoc; tum quidem, indè malum, ac delictum, omnium maximum foret; tum hinc, boni speiq;, nihil esset. Cùm itaq; (subdiderit fortè quispiam) eiusmodi æger sit te iudice penitus incurabilis; erit'ne misellus ipse penitus à Medico, destituendus, ac desperationis unguibus derelin-

quendus? Huic sanè responderem ego; quod; cùm, & uerbo, & opere, ægrotantes ipsos soleant Medici curare; profectò uerbis potiùs quã operibus erit ille ab eo curandus. Quamobrem; &, grata, blanda, moderatæq; spei plena, sunt ei danda interdum uerbula; &; cùm medica opera, alia diætetica sint, alia pharmaceutica, alia chirurgica; planè; quò ad diætam non penitus erit ab eo deserendus, parum, ac sæpè ei propinando. Quò uerò ad reliqua; nec quidem pharmacis expurgandus erit (Hæc nanq; omnia stomachum, & uentriculum, magnopere lædunt) nec sanguinis mißione uacuandus; nam; & sanguis est naturæ thesaurus; & eius mißio, quam φλεβοτομίαν uocant, totum corpus grauiter refrigerat; & nonnulla quidem accidere solent ad grauem refrigerationem symptomata; neq; frictionibus, cùm moderatis, tùm fortibus, est fricandus; quòd quidem & hæ uires debilitent. Quòd uera hæc sint; sic annuit Galenus. In omni euacuatione; ægroti uires oportet attendere; & donec, tolerat, nondumq; laborat, tentandum est exuperantem educere humorem. Cùm uerò dissoluuntur; etiam, si restent super fluitates, cauere oportet earum euacuationem. Insanabilis enim, quàm sanabilis; is potiùs est. Aegris autem, qui insanabiles sunt; iis, nec tempus ullum opportunum, nec præsidium; est. Operæ quidem igitur inta-

Gal. in introd. cap. 7

Gal. in lib. Quos p. e. q m. e. q. t.

Gal 2 de elem. & 2. de dinam. cap. 1.

Gal in de curan. v. p. s. m.

Gal. ibid.

Gal.

Gal. 1. aph. 3.

Gal. 11. meth. 9.

li ægro tibi precium fuerit; cùm futurum eius ex elementaribus hiſce campis in elyſios demigrationem, aßidentibus; tùm futuræ id genus migrationis uel horam, uel diem, uel hebdomadem, uel ſaltem menſem, prædicere; nè, ſilentio eam præteriens, uulgari fias infamiæ obnoxius Iuxtà Galeni illud. Quorum ſummum uigorem excipit mors; in ijs parte utimur artis, quæ prognoſtica nominatur; id, quod futurum ſit, prædicentes, nè euentus rerum noſtro aſcribatur errori. Vulgi autem, cùm famam, tum infamiam; parui nè pendito. Nam, populus, aqua, & ignis; irretentilia ſunt iuxtà Phocylidis illud. Λαὸς, καὶ ὕδωρ πῦρ, ἀκατάσχετα πάντα, φωκυλίδ. *Populus, & aqua, & ignis; irretentilia omnia. Taliter uerò ægrotantes taliter curare, nouum, impium, uel execrabile, nè uideatur; cùm quidem plurimi ſint hominum morbi, qui curationem admittunt nullam. In cuius rei fidem eundem auſcultato, ſic quodam loco dicentem. Si quando in frigido ambiente uehementer uri hominem contingat; exigua ſalutis eius habenda ſpes eſt. Si uerò, nec concoctionis habeat ſigna, nec uires ualidas; ſeruari is planè non poteſt. Quò minùs; aut idem lauandus in balneo eſt; aut medicamentis ijs, quæ rarefaciunt, ungendus; aut uinum illi dandum, frigida'ue offerenda. In quo enim deſperata omnis ſalus eſt; impudentis conſilij fuerit apud uulgum*

Gal. I. aph. 8.

infamare præsidia, quæ multis fuere saluti. Item alio quodam loco. Qui, causo laborantes, perniciosè, insalubriterq́;, habent; eos, neque per aliud quidpiam, neque per aquam, seruari; est poßibile. Quibus neque ministrare sum coactus. Itidem alibi. Conuulsio; quæ fit ex inanitione, & neruorum siccitate; non facilè curationem admittit. Conuulsio uero ex repletione per euacuationem sanabilis est. Diuinus prætereà Hippocrates; soluere morbum, quem ἀποπληξίαν uocant, fortem, impoßibile; debilem uero non facile, esse; quodam loco asseruit. Quanta enim, qualiaque, cunque remedia talibus admoueris; omnia planè, incassum, irritaq́;, experieris; quandò ægris, qui insanabiles sunt; his, nec tempus ullum opportunum, nec præsidium; est. & hæc de superlatiuè, tàm imbecillißimæ uirtutis, quàm intensißimæ cacochymiæ, curatione; sint iam conscripta. Cùm autem tù, non quidem irrationali ratione ductus; in, meam hanc, immo galenicam, ἐπίκρασιν, obieceris; impura quidem, ac corruptis humoribus esse referta, cacochyma id genus corpora; non pura uerò corpora, quanto plus nutrimus, tantò magis (Hippocrate id affirmante) nos lædimus; profectò; quòd ratio, satis probabilis, propria quidem ob id (ut Galenus asserit) solutioue opus habeat; conabor ei proprium pro uirili responsum reddere, ean-

Gal. 11. meth. 9.

Gal. 4. reg. a. 13.

Gal. 5. aph. 1.

Hip. 2. aph 42.

Gal. 11. meth. 9. et. 4. reg. a. 13.

Hip. 2. aph. 10.

Gal. in lib. contra ea, q. a. i. i. n. a. d. s.

dem tamen (ut moris est) priùs, sententiis, & rationibus; corroborans. Sententijs quidem; nam, ubi cibus præter naturam plus ingestus

Hipp. 2. aph. 17.

est (Hippocrate dicente) morbum hic facit. Item. Non satietas; non fames; neque aliud, quicquam, quod modum naturæ excesserit; bonum. Itidem. Siquis cibum febricitanti dederit; ut sano robur, sic laboranti morbus. Præterea. Cibus; in sanis quidem robur, efficit, & auget; ægris autem, nocet, & morbum auget. His & aliæ duæ consentiunt similes sententiolæ. Altera. Refectiones, cùm extremæ fuerint, priculosæ. Altera. Neque replere, neque euacuare; supra modum oportet. Rationibus uerò tantùm gemellis eadem tua à me ratio corroboratur. Prima sit talis. Omne nimium est naturæ inimicnm. Ipsa autem natura semper; quod sibi, melius, ac commodius, est; cùm desyderat, tùm quærit. Cùm igitur; quæ rectè à natura fiunt, etiam in artis operibus, Medicus imitari debeat; non sanè, quod nimium sit, propinari ægrotati debet; sed; quod potiùs, mediocre, & symmetron. Non nanque illud, sed hoc; tanquam sibi, melius, & commodius; natura ipsa sibi, cupit, ac quærit. Secunda talis sit. Oportet utique semper, alimenta esse in nati caloris multitudini proportionalia. Cùm nanque uasa, cibis, ac potibus, fuerint supra modum repleta; periculum est; nè præter eorum

Hip. ibid 4

Hipp. 7. aph 63. Gal. ubi sup.

Hip. 1. aph. 3.

disru-

disruptionem, etiam calor ipse natiuus, aut suffocetur, aut extinguatur. Hisce uerò, tàm sententiis, quàm rationibus, haud refragantibus; adhuc equidem, & censeo, & demonstro; durastanteam, immo potiùs galenicam; optimè substistere; epicrasim. Cùm enim nutritio eius sit, quod euacuatur, repletio (si enim à nostris corporibus nihil efflueret, sed semper æqua seruaretur substantiæ moles, nulla quidem nobis esset alimenti necessitas) ideo oportet, alimenti quantitatem esse eius, quod difflat, quantitati proportionalem. Si nanque, quod defluit, plurimum, quod autem influit, modicum, esset; necesse quidem hic foret, subiectam corrumpi substantiam. Quoniam igitur in ipso cacochymo corpore uitalibus ob affectus uehementiam partim iam resolutis, qui uitæ uehicula sunt, spiritibus, innantus calor est imbecillior redditus; paucis quidem in singulas uices eget alimentis. Quia etiam, quod defluit, plurimum est; multis exhibendi nutrimenti uicibus eget. In summa; eius, quod defluit, multitudini, pluriũ uicium quantitate; uitalis autem, cùm caloris, tùm spiritus, imbecillitati, singularum uicium paucitate; fit satis. Quas obres; cùm, homines, aut sani sint, aut ægrotantes, aut uita functi (communiter autem, non propriè, de eis loquendo. Nam homines, uita iam functi, quòd anima careant, amplius homines non sunt.

Gal. ubi sup.

Gal. ibid.

Gal. inibi

Gal. ubi sup.

Gal. ibid. 14.

Gal. in de ren. a. d. a. m.

Est etenim homo ex, anima, & corpore; compositus. Cumq́; ;sanorum sola, natura, ac uoluntas; ægrotantium, natura, ac Medicus (Illa scilicet opifex, hic eius minister) defunctorum, Deus, & mors; curam gerant; Ideo equidem, tam sanis, quàm uita functis, hîc silentio præteritis; dicerem; quòd Medicus in ægrotis ipsis, quoad salubrem eorum uictum rectè instituendis debent; uel, multa, & raro, eis exhibere; ut tum in hyeme; tum; si accessiones, neque permiserint, neque multas alimenti offerendi occasiones præstiterint; uel, multa, ac sæpè; ueluti, tàm in autumno, quàm, si uires ipsæ cum humorum, defectu, uel corruptione, seu cacochymia, ualidæ fuerint; uel, pauca, & rarò; sicuti, in uere, nec non ualidis existentibus cum plethorica dispositione uiribus; uel tandem, pauca, ac sæpè; quemadmodùm; tum in æstate; tum si quidem; & u res laborantis debiles fuerint; & ea, quæ in corpore est, dispositio; ex humorum; uel corruptione quæ κακοχυμία, uel defectu, quæ ἀτροφία; græcè dicuntur extiterit. De epicrasi igitur, satis, superq́ue, dictum iam sit.

Auer. in l. destr. disp. 3. dub. 12. Gal. in lib. art. m. 87.

Gal. 1. aph. 17.

Gal. ibid.

Gal. inibi.

Gal. ubi supr.

PROBLEMA III.

AN RHABARBARVM OB lienterian, Dysenterian, Iecorarium, uterariumq;, defluuia, astrictionem, & corroborationem, intensè, leuiter'ue, sit comburendum.

IANO MATTHAEO DVRAstante Philosopheraste, & Medico, Santoiustano autore.



NVALVIT apud recentiores Medicos in agro, piceno, italo, & europeo, iamdiu abusus (Vir præstantißime) ut; tum, lienteriam, dysenterian, necnon, iecorarium, uterariumque, defluuia compescere; tum, dilatatas, ideoq; imbecilles redditas, partes, in unum cogere, constringere, & corroborare, uolentes; rhabarbarum ægrotanti, intensè perustum exhiberent. In, imam autem, ac tenebrosam, hanc, empiricæ, & irrationalis, Medicinæ uallem ideo præcipites sunt me Palæmone delapsi; quòd, non (ut, ex suo usu, parq;, fuisset) græcis, sed arabicis, hi fuerint Medicis omnes, ubique, ac semper addictißimi; quorum, illi, insanam, titubantem, firmam, & falsam; hi con-

trà, sanam, firmã ac ueram; disseminarunt Medicinam. Quàmuis autem eorum opinio (quemadmodùm inferiùs monstrabitur) utique falsa me iudice sit; non tamen adeò talis est; ut omnem citrà, sententiam (autoritatem uocant) & rationem; constet. Etenim primò quò ad, sententias, siue autoritates; quòd, exusta medicamina fiant astringentia, ac magis adusta magis astrictoria; sic quidem asserit, cui recentiores ipsi permaximè sunt addicti; Mesues. Quandocunque uiscerum contractio quæritur; utique, cùm assum, tum adustum, est Rhabarbarum exhibendum; quòd quidem, illud ægriùs, hoc ualidiùs; ea contrahat. Item. Assum; exq; plantaginaceo succo, & astringente uino, deuoratum, Rhabarbarum; dysenteriæ refragatur. Præterea huic Mesuei sententiæ quatuor aliæ, manum porrigere, & suffragari, uidentur Galeni sententiæ; quarum prima talis est. Ad moderatiores sanguinis profusiones thuris cortice solo utimur. Ad ualentiores solo usto; sed, cribrato, & in mollißimum puluerem redacto. Ex hac enim elici uidetur, astringentiorem ex aductione thuris corticem fieri. Secunda. Nè erosi dentes, uacillent, aut fœtorem faciant; sal fossile, melle subactum, in testula torreto, in mortario deinde, terito, modicaq; admista myrrha dentibus affricato. Sal itaque tostus, uacillantes, ac mobiles, ipsos dentes adscititia ab exu-

Mes. de simpl. 1. part. 5 c.

Mes. ibid.

Gal. 13. meth. 2. dist. 2. tes.

Gal. 5. simpl. 29.

stionis ui astrictione confirmat. Tertia. Substantiæ proprietate mirabilis est fluuiatilium cancrorum cineris in ijs, qui à rabiente cane morsi sunt, effectus. Itaque; tum solius; tum cum, gentiana, ac thure; multò præstantior. Thuris sanè partem unam esse oportet, quinque autem gentianæ, cancrornm decem. Cancrorum itaque corpora tantam acquirunt; dum, exuruntur, & cinis fiunt, astrictionem; ut, talium cinis, ad cor pertinentes, meatus adeò cogat, ut uenenum illud in ipsum per eos progredi non sinat. Vltima. Crimnon, quòd è, zeia, seu zea, fit; uentrem magis cohibet; potißimùm, si, zea ipsa torrefacta priùs fuerit. Zeæ igitur astrictionem infert torrefactio. Sunt autem, & κρίμνον farina craßiuscula; &, zeia, seu zea, frugis illa, quæ spelta uulgò dicitur, species. Eandem præterea sententiam sic quidem alibi repetit idē Gal. Poltos, seu sorbitio, è zea facta; uentrem leuiter sistit; ac potißimùm, si, zea ipsa, frigatur: Et hæ quidem autoritates sint, quarum manibus, propriam, suamq;, rhabarbareæ combustionis opinionem recentiores firmarunt. Postremò quò ad rationem, huic forsan recentiores ipsos innixos crediderim enthymemati. Omne siccans medicamen, intestinorum, iecinoris, uteri, uiscerumq;, defluuia cohibet; igitur omne magis exiccans, intestinorum iecinoris, uteri, ac uiscerum defluuia magis inhibet. Enthyme-

Gal. 11. eiusd. 35.

Gal. 1. alim. 13.

Gal. 7. simp. 54.

maticam hanc rationem ex huiusce loci fide ueram esse forsan hi affirmauerint; quo, magis magis sequi, in topicis asserit Aristoteles; ut, si uoluptas bona, maior uoluptas melior. Antecedens autem eò patere liquet, quòd planè desiccantia omnia uentrem Galeno sistant. Eam uerò cohibent, in ea redundantem, humorem per halitum eliciendo. Nam hac fortasse ratione, quæ cutem immodicè siccant, eius traspirationem retinere, uult Pergamenus. Vlteriùs. Omne magis exiccans medicamen, intestinorum, iecoris, uteri, uiscerumq́;, defluuia magis inhibet. Rhabarbarum magis adustum minùs usto siccantius est. Igitur, intestinorum, iecinoris, uteri, uiscerumq́;, eo magis effluuia cohibet. Syllogismus est in tertio primæ. Maior ex Gal. depromitur, uentrem quidem, & siccantia; & omnia siccantia, sistere; affirmante. Minor uerò loci ui subsistit, quo magis magis sequi (dictum ut superiùs est) uult Aristoteles. Hæ igitur sint recentiorum cùm sententiæ, tum rationes; Rhabarbarum quidem, & ustum crudo magis, & magis adustum minùs usto ualidiùs; tum astringere, corroborareq́;; tum præterea, propterea q́;, intestinorum, hepatis atq; uteri, defluuia; compescere commostrantes. Hisce tamen nequàquam obstantibus; ego quidem existimo Rhabarbarum ipsum; non (ut Mesues, ac eius sectatores, consentiunt) cùm assum, tum adustum;

Arist. 2. top. 26.
Gal. 2 alim. 44. & 7. sim. 107.
Gal. 1. de sanit. t.
Gal. 8. meth. 2.
Gal. 7. sim. 107.
Gal. 2. alim. 44.

quòd, illud minùs, hoc magis, astrictorium sit, dysenteriæ, reliquisque, iam in quæstionis huius initio conscriptis, affectibus, optimè refragari; sed quinis, in præsentia conscribendis, ad amussim, & perpensis, & obseruatis, methodis; in dictos esse propinandum affectus. Etenim primò; non, maturum, croceum, & amarius; sed potiùs contrà, & immaturum, & subalbum, & acerbum, in dictos morbos est seligendum. Secundò; non in tenuem puluerem, sed in crassa quæpiam frustula, redigendum. Tertiò; non quidem intensè comburendum est, uerùm leui quadam subadustione in excalfacta iam testula (hinc indè ea continuè, nè nimium adurantur, uolutando) subtorrefaciendum est. Quartò, non quidem, ob, inq;, omneis affectus eodem modo puluerandum est; sed, ob, lienterian, & dysenterian, craßius; ob, iocorarium, uterariumq;, sanguinis defluuia tenuiùs; obq; partium, uentriculo propinquiorum, illo; ab eodem remotiorum, hoc; modo est puluerandum. Postremò, tam astrictorio comite; quàm etiam, & aperiente, & uias dilatante, Duce (utroque tamen, olfactui iucundo, gustuiq; suaui) coadhibitis; erit exhibendum. Etenim quinis hisce coobseruatis methodis; utique, tum, lientericum, dysentericum, iecorarium, uterariumq;, defluuia optimè sistes; tum reseratos, intestinorum, iecoris, uteriq;, meatus astringendo; partes id genus (ut par-

est) corroboraueris ; tum denique propterea ad exoptatam ægrotantem ipsum (ni forsan incurabilis ipse sit) ualetudinem redegeris. Quando ægris, qui insanabiles sunt ; his, nec tempus ullum, nec præsidium, opportunum est. Vt autem methodorum harum singulæ pro uirili scribentis parte, perpendantur, & cōmostrentur; quæ reliqua sunt, per capita ueniunt ordine distinguenda, initio à methodo priore auspicato.

Gal. 11. met. 9.

PRIMAE METHODI RATIO.

Rhabarbarum cur non maturum, croceum & amarius, sed potius contrà, & immaturū, & subalbum, & acerbum, in, lientericum, dysentericum, iecorariū, uterariumq́;, defluia; necnon, astrictionem, & corroborationem; sit exhibendum.



CIENTIFICARVM conclusionum ueritatem tribus, commonstrare, & in propatulum ponere, possumus instrumentis; utique; tum probatissimi Autoris, sententia, siue autoritate; tum sensata experientia; tum intellectuali ratione. Sententia quidem iuxtà Philosophi illud. Id quidem eligendum est; quod, prudentes, ac sapientes, circa singula magis eligunt. Expe-

Arist. 3. top. 1.

rientia uerò, & ratione; quòd quidem hæ; tum inuentionis omnis instrumenta sint; tum omnium, quæ in Medicina, reliquisq; scientijs, disquiruntur; sint iudices. Nam qui finem cuiuslibet artis consequi parat; duobus hisce ueluti, cruribus, uel instrumentis, uti debebit; in uniuersalibus theorematis, ratione, & methodo; in particularibus, experientia, &, exercitatione. Quamobrem, dogmatici, rationalesq;, Medici; partim experientia, partim ratione, omnia inueniri contendunt. Empirici autem sola experientia. Ambas autem sic in praxim quodam loco redegit, ubi de, difficili, uel impoßibili, phthisis curatione locutus est; Galenus. Quòd pulmonis ulcera curatu quidem, aut difficilia, aut impoßibilia, sint; cùm experientia, tum ratio; nos condocent. Experientia; quòd neminem eorum, qui ita sunt affecti, sanatum unquam uiderim. Ratio uerò; quòd ea, quæ sananda sunt, quietem requirant; pulmo autem propter anhelitum perpetuo sit in motu. Sunt enim, experientia, ac eius sensus, ab inductione; ratio autem, & intellectus, ex rerum substantia. Vt itaque tandem & nos in praxim hæc tria (sententiam inquàm, experientiam, & rationem) iam redigamus; planè; quòd Rhabarbarum ipsum; non, maturum, croceum, & amarius; sed contrà, immaturum, subalbum, & acerbum; in, narium, oris, pectoris, ac pulmonum, effluia; nec-

Gal. 3. meth. 2.
Gal. 1. de dieb. d. in fin.
Gal. 9. meth. 6.
Gal. 3. meth. 1.
Gal. 5. meth. 8.
Gal. 3. simpl. 7.

non in, lientericum, dysentericum, hepaticum, & uterinum, defluuia; obq;, astrictionem, & corroborationem; sit seligendum; eò patet, quòd acerba medicamina talibus utique sint facultatibus prædita. Acerba autem esse talia; planè, & sententia in propatulum ponetur, & experientia monstrabitur, & ratione demonstrabi-
Sententiæ. tur. Primum quidem igitur quò ad sententias undecim galenicis hoc asseri potest autoritatibus, quarum prima talis est. Austerum, στύφομ, idest astringens; acerbum autem, στρυφνόμ; hoc est, intensè austerum, seu ualdè astringens; di-
Gal. 4. meth 7. citur. Secunda. Est quidem eorum, quæ στρυφνά græcè dicuntur, nos autem commodioris inopia uocabuli dicimus acerba, nullum profectò mo-
Gal. 3. 7. meth. 4. 7. dicè astringens, ideoq; nec modicè siccans. Tertia. Necesse est, acerba esse, terrea, crassa,
Gal. 7. meth 7. & 4. sim. ult. ac frigida. Quocirca Rhabarbarum ipsum, immaturum, acerbum, & subalbum; tenues, conscriptorum iam, morborum humores crassiores facilè reddet. Nam; &, acres, bilosæq;, humiditates, quales esse prænotatorum affectuum
Gal. 6. simp. 2. constat, tenues sunt; & uentris morsus ob tennuium homorum illuc confluxum oritur; & in
Gal. 4. regim. a. 5. crassandi facultas, frigidis, & crassis, inest essentijs; quemadmodùm contrà facultas extenuan
Gal. 5. simp. 20. di sita est in, calidis, ac te nuibus, substantijs.
Gal. ibid. Quarta. Anstera, acerba, & astringentia; quòd, terrestria sint, crassaq;, & frigida; astrin-

gunt, contrahunt, denſant, repellunt, incraſſant, refrigerant, & ſiccant. Ideoq;, tam acerba, quàm tale Rhabarbarum, eorundem quidē morborum ſuccos, & ſubtiles craſſabunt, & calidos refrigerabunt, & confluentes reprimient; necnon, affectarum abeis, partium reſeratos meatus, & denſabunt, & contrahent, & aſtringent; dilatatasq;, ac proinde imbecilles redditas; corroborabunt. Quemadmodum enim ea, quæ immoderatè, laxant, ſiue aperiunt, membri quidem, robur, quare & uirtutem, ſoluunt; ita contrà, quæ aſtringunt, eiſdem quidem, & robur, & uirtutem, inferunt. Adq; ea, quæ euacuata iam ſunt, roboranda; aſtrictione quidem opus eſt. Quinta. Ponticus ſapor, tum ſanè, terreus, & craſſus, eſt; tum præterea; &, frigidus, ſiccusq;; &, intus, incuteq;, aſtringens, obſtruens, incraſſans; tum denique & æqualiter acetoſo refrigerans. Dictus autem eſt meo iudicio ponticus ſapor à Ponto, quem euxinum uocant. Circumiacentium enim eius Regionum fructus ob, ſeptentrionale frigus, ac boreæ flatus, quibus obnoxij ſunt; obtuſosq; ſolares angulos; plurimùm quidem, & acerbi, & aſtrictorij; ſunt. Cenſenſendum igitur eſt miſellum Ouidium ideo quidem illò Auguſtum relegaſſe; ut; qui, feruidos, & ſuauiſſimos, filiæ, uel uxoris, amores iam pitiſſauerat; talis oræ, gelidos flatus, & acerbiſſimos fructus, ingurgitando; multiplices,

Gal. 5. ſim penul.

Gal. 2. ad Glauc. 2.

Gal. 2. ad Glauc. 2. et 11. met. 16.

Gal. 7. ſim. 18.

Gal. in de ocul. part. 5. cap. 2.

proprij, suiq́;, delicti pœnas penderet. **Sexta.** *Stypticus sapor est; tum, frigidus, siccus; tum, astringens, atq; obstruens; tum, intus, & incu-*
Gal. inibi. *te, hæc commoliens.* Septima. *Porrò; quæ magnopere, austera, acerba, frigida, crassaq́;, sunt; omnino nullum in corporis intima introducere humorem possunt. Nam talia, primo statim contactu eius superficiem condensantia;*
Gal. 3. simp. 17. *humorem, ingredi, imbibiq́;, prohibent.* Octaua. *Astringentia, austera, & acerba; terrestria, quidem, frigidaq́;, sunt; necnon, contrahunt, constringunt, densant, repellunt, in-*
Gal. 5. simp. 26. *crassant, refrigerant, & siccant.* Nona. *Ventrem, austera, acerba, & astringentia; sistunt.*
Gal. 2. alim. 40. Decima. *Austera, acerba, & astringentia; stomaco sunt amica.* Nouißima sententia. *A-*
Gal. 6. simp. 2. *cerba ijs; qui, deiecta sunt appetentia, tardè concoquunt; necnon, diarrhœa, dysenteriaq́;, infe-*
Gal. 2. alim. 21. *stantur; apta sunt. Et hæ sint, sententiæ, siue autoritates; quarum ui, immaturum, acerbum, & subalbum; ob dictos iam propellendos morbos, seligendum esse Rhabarbarum constat.* De-
Experientia. *mum autem quàtenus ad experientiam pertinet; quàmuis apud Galenum eam præcedere oporteat; quæ quidem à uera, methodo, rationeq́;, proficiscitur, remediorum inuentionem; huic uerò experientiam ad certiorem etiam fidem sub-*
Gal. 6. meth. 2. *scribere; ego tamen ideo experientiam rationi hic premitto; ut, à posteriori ad prius, aq́; sen-*

ſibili ad intelligibile; iuxtà Peripateticorum ſententiam progreſſus ordine fiat. Eſt enim innata nobis uia ex nobis notioribus ad notiora naturæ, ob capeſſendas rerum ſcientias; progredi. Experientiam autem; quòd, inductioni, particularibus, ac ſenſui, innitatur; nobis eſſe notiorem conſtat. Rationem autem; quòd, uniuerſalibus, & intellectui; naturæ magis, nobis autem minùs, eſſe notam; liquet. Rhabarbaro igitur ideo quidem ob dictos iam propellendos affectus, & immaturo, & acerbo, & ſubalbido, opus eſt; non autem, maturo, amaro, & croceo; quòd quidem eos, ab illo corrigi, ab hoc magis irritari; ſenſata quotidie per praxim deprehendere ſoleat experientia. Poſtremò uerò, quò ad rationem; cùm ratio ipſa non modicùm ad experientiam, uel ornandam, uel corrumpendam, momentum habeat; nam, experimento rationem adiungentes, hanc quidem in omnibus, ueluti Ducem, ſequimur; huic experientiæ profectò duæ, coaſtipulantur, & coannuunt; rationes. Prima. Cùm; medicatoriæ indicationes à, morbo temperamento, & aere, ſumendæ ſint; necnon, & contraria contrarijs utique ſint perpetuò curanda; & morbi, tam ex euacuatione ſint repletione, quàm ex apertione aſtrictione, curandi; profectò, non, maturo, croceo, & amariore; ſed, immaturo, ſubalbo, & acerbo; tales in affectus opus eſt Rhabarbaro. Nam, me-

Ariſt. 1. phyſ. 2. Gal. 3. ſim. 7.

Ratio.

Gal. 2. meth. 6. Gal. in de Ther. ad Piſ. 3.

Prima Ratio.

Gal. 9. meth. 14. Gal. 11. meth. 12. Hip. 2. aph. 22.

dicatoria talium morborum, indicatio, Mediciq; in eiſdem curandis intentio; eſt ſanè effluentem, bilem, ſanguinem, uel humorem; non, elicere, & expurgare, nè afflicto corpori ingeratur afflictio; uerùm contrà; tum eundem, calidum refrigerare, & ſubtilem incraſſare (nam, calidis frigida difficiliùs penetrant, & tenuibus craſſa ægriùs mouentur) & effluentem reprimere; tum dilatatos affectarum partium meatus in unum cogere; tum deniq; & eaſdem imbecilles iam redditas, conſtringere, & corroborare. Quorum effectuum, illi quidem à maturo, hi ab immaturo; facilè prodeunt. Secunda ratio. Omne terreum eſt; tum ſubſtantia craſſum; tum qualitatibus; & primis, frigidum, ſiccumq;; & ſecundis, in unum cogens, aſtringent, corroborans, reprimens, incraſſans; tum propterea ſanguineis; tam, narium, oris, pectoris, & pulmonum, effluuiis idoneum; quàm, lienterico, dyſenterico, hepatico, & uterario, defluuijs conueniens. Omne acerbum terreum eſt. Omne igitur, acerbum, & ex conſequio immaturum, ſubalbumq;, Rhabarbarum; eſt; tum craſſum; tum, frigidum (maturi ſcilicèt, croceiq;, reſpectu) ſiccum, cogens, aſtringens, corroborans, reprimens, incraſſans; tum ſanguineis, iam conſcriptis, effluuiis; utile. Syllogiſmus eſt in primo primæ. Prior ſententia, quam maiorem recentiores Dialectici præmiſſam nominant; ex

Gal. 4. ſimpl. 12. Gal. 11. ſimpl. 16.

Secunda Ratio.

hisce, primarij Philosophi, secundarijq; Medici, sententijs constat. Etenim ille sic habet. Terra, frigida est, & sicca; magis tamen sicca, quàm frigida. Hic uerò, quæ ad rem faciunt, senas hasce reliquit sententiolas. Prima. Terra summè, sicca, frigidaq;, est. Secunda. Extrema planè existit; in igne caliditas; in aere humiditas; in aqua frigiditas; in terra uerò unà cum, astrictione, & frigore, siccitas. Forsan autem, non iniuria, sed iure, Philosopho refragatur Medicus; æqualem, tam frigiditatis, quàm siccitatis, ordinem terræ contribuens. Etenim terra ipsa, quemadmodùm ob maximam sui ab orbe distantiam, maximè grauis, elementorumq; grauißima, Peripateticis est; ita pariter, & frigidißima, & præterea craßißima. Nam elementorum; &, grauitas, frigiditas, craßities; &, leuitas, caliditas, tenuitas; orbium quidem, illæ longinquitati, hæ propinquitati; referuntur acceptæ. Necesse enim est, mundum hunc inferiorem superioribus eorum lationibus esse continuum, ut omnis huius uirtus indè gubernetur. Adde præterea & Auerroem; an terræ, circa, propeq;, centrum existentes, partes à solari calore, calfiant, alterentur'ue; in dubium uertisse. Cùm tamen, omnes aquæ partes dubio procul ab eodem, & alterari, & excalfieri; constet. Tertia. Terra secundum propriam rationem, pinguis est, ac uiscosa. Quarta. Astri-

Arist. 2. de gener. & c. 23. Gal. 9. sim. 2.

Gal. 1. de hum. n. 14

Auerr. 2. cæl. 102. 94. & 1. collig. 97.

Auerr. 2. cæl. 94. 102. Arist. 1. meteo. 1.

Auerr. 1 phys. 11. Gal. 9. sim. 3.

ctio est opera, crassæ, terrenæq;, frigiditatis. Quinta. Astringentia, ac refrigerantia; reprimunt, & corroborant. Vltima. Dysenteria; alui affectus; sanguinis, expuitio, ac ex utero eruptio; sedis, ac uuluæ, procidentiæ; astringentibus; terreis; atque lentisci, foliorum, ac germinum, succo; opus habent. Secunda uerò syllogismi sententia, quæ minor ab eisdem uocatur præmissa; trium eiusmet Gal. sententiarum ui subsistit; quarum, prima talis est. Acerba necessariò quidem, & terrea, & crassa, & frigida, sunt. Secunda talis. Ponticus sapor, terrestris, & crassus; est. Tertia. Malorum, cùm austera, tum acerba, & unico uerbo astringentia; frigida quippe sunt, ac terrea. Et hæc de prioris methodi ratione.

Gal. 7. sim 18. Gal. 11. 14. meth. 15. 3. Gal. 8. sim. 131. Gal. 4. m. ult. Gal. in de ocul. part. 5. cap. 2. Gal. 2. alim. 21.

SECVNDAE METHODI RATIO COMBVRENDVM.

RHABARBARVM qualiter sit pulnerandum.



SECVNDA methodus est Rhabarbarum ipsum, iamiamque adurendum, non tenuem in puluerem, sed in craßiuscula frustula; priùs esse redigendum. Eius autem ratio sit; quòd, si te

nuiter

nuiter pulueratum exureretur; non solùm, extimæ, subtiliores, igneæ, amaræ, extersoriæ, purgatoriæq;, particulæ (par ut est) resoluerentur; sed etiam, intimæ, craßiores, terreæ, acerbæ, & astrictoriæ, partes adurerentur; ideoq́, tum, calidiores, ac tenuiores, fierent (ut in tertia monstrabitur methodo) tum minùs astrictoriæ. Adde præterea; quòd medicamina, tenui particularum compage constantia; cùm, decoquenda sunt, uel adurenda, in, crassas quidem, non tenues, sint partes Galeno teste redigenda; quodq́; & Rhabarbarum ipsum tenui particularum, cõpage, & substantia, constet; licèt ipsum partibus; tam, igneis, aerijs, ac subtilibus; quàm, terreis, & craßis, constare; uoluerit Mesues. Ipsum autem esse prædominio tenue; eiusmet; & substantiæ, laxitas, leuitasq́;; & celeris, tam in tenuia solutionis aptitudo, quàm in corporis intima transitus promptitudo; fidem exhibent. Laxitas quidem, ac leuitas; iuxtà Gal. illud. Aeream, subtilem, rhà substantiam; eius quidem, & laxitas, & leuitas; indicant. Solutionis autem aptitudo iuxtà eiusdem illud. Nempe, quæ celeriter in tenuia soluuntur, tenuium ea partium uocantur. Penetrationis uerò promptitudo iuxtà eiusmet illud. Nucum corticum succus; cùm quidem, & in manuum profundum descendat, & per omnem lanarum substantiam penetret; tenuium partium esse, est iudicandus. Nam,

Gal. 7. catag. 2.

Mes. in de sim. 1. par. 5. cap.

Gal. 6. sim. 76.

Gal. 4. simp. 3.

Gal. 10. sim. 3. Gal. 1. de temper. Gal. 6. sim. 2.

tenuia magis, crassa minùs; tota corpora penetrant. Præsertim autem; siquidem, illa calida, hæc frigida; sint. Cùm enim caliditas primarum sit qualitatum efficacißima; planè calida frigidis facilius penetrant. In summa Rhabarbarũ torrefacturus, o rationalis, optimeq́; Pharmacopœe; non in tenuem puluerem, sed in crassiusćula redigito frustula.

TERTIAE METHODI RATIO.

RHABARBARVM

QVATENVS ADVRENDVM.



RAESENS *methodus ideo sanè Rhabarbarum, nequàquam intensè comburendum, sed leui quadam subustione torrefaciendum, esse præcipit; quòd quidem ipsum ob cōbustionem fiat; tum moderatam; minùs, aut nequàquam, expurgatorium; magis autem astringens; tum ualidam; & quò ad substantiam tenuius (ideoq́; sanguineis, neque superioribus effluuijs, neque inferioribus defluuis, compescendis habile) & quòad qualitates; tam primas, calididius, licèt in rei ueritate siccius; quàm secundas, acre, mordax, & minùs astringens; ideoq́; prænotata iam, effluuia, ac defluuia; quà mordax irri-*

tans, quaque minùs astrictorium, minùs cohibens. Primò igitur ideo leuiter ipsum est adurendum; ut expurgatoriæ; scilicèt, extrinsecæ, igneæ, acres, calidæ, tenuesq́;, eius particulæ talis utique subustionis ui resoluantur adeò; ut, neque purgatio purgationi, neque afflictio afflicto; superaddatur; immo potiùs contrà fluidi, iam con nominati, morbi, cohibeantur, aq́; proprio fluxu desistant. Extrinsecæ quidem, nam, quemadmodùm in maiori mundo ignis à, centro, terraq́;, superiora circumpetit; ita quidem; & in reliquis eius partibus, quarum unum Rhà quidem ipsum barbarum est, euenit; ut, igneæ, calidæq́;, particulæ, ab intimis ad extima, aq́; medio ad libramentum; prodeant. Quemadmodumq́; & terra conuersò à superioribus ad centrum undequaque defertur; ita in eodem, terreæ, frigidæq́;, partes ad medullam à, libramento, seu superficie, prodeunt. Vt proinde pariformiter quidem asserendum sit; etiam in Rhabarbaro; tum, extimas, igneas, & intimas, terreas partes esse; tum præterea; & illas ob, propinquitatem, subtilitatem, caliditatemq́;, esse resolutioni habiliores; & has ob, longinquitatem, craßitiem, & frigiditatem, eidem esse rebelliores. Etenim; quò ad, propinquitatem, & longinquitatem; actiones, & motus, per contactum Auerroæ fiunt. Validiùs itaque, citiùs, ac promptiùs, in proxima, quàm in longinqua (cæteris pa-

Auerr. 4. cæt. 26. & 1. cæl. 8.

Aner. inibi.

Gal. 1. sim. 12.

Auerr. 7. phys. 2.

ribus) actiò fit. Licèt hoc de ui[illegible]ento motu, qui maximus est in principio; non autem denaturali, qui maximus in fine, propriè intelligi; quipiam asserent. Quò ad, tenuitatem, & crassitudinem; quantò quid tenuius est; tantò quidē, & calfit, & refrigeratur, & humectatur, & exiccatur, & unico uerbo patitur, promptiùs; iuxtà illud. contabescere fit ob humorum tenuitatem. Permanere autē accidit eorundem crassitudine. Quo denique ad, caliditatem, ac frigiditatem; cùm omne frigidum sit Galeno difficulter solubile, necessariò quidem resolutioni habile fuerit omne calidum. Indicio autem febres sint, difficillimæ frigidi solutionis, quotidiana, & quartana; quarum humores, frigidi, crassiq;, sunt; habilis autem calidi resolutionis, ephemera, exquisitaq; tertiana; quarum, illius, calidi, tenuesq;, spiritus; huius, calidissima subtilissimaq;, humorum, bilis; sunt causæ. Secundò fieri idem Rhabarbarum constat ob eandem modicam subtorrefactionem magis astringens, quòd planè talis ui, terrestrius, & crassius, reddatur; igneo, calido, tenuique; iam dissoluto. Tertiò propter ualidam fit combustionem subtilius iuxtà Gal. illud. Chalcitis usta quàm non usta tenuior fit, ceu reliqua omnia combusta. Quamobrem, neque superioribus effluuiis, neque inferioribus defluuiis, inhibendis habile; quòd planè; tum talium, sanguis, & biliosus,

Auerr. 3. cœl. 35. Auenr. 3. phys. 17 & 7. phys. 2. Gal. 1. simp. 17. 12. Gal. 2. aph. 28. & 2. reg. a. 47 Gal. 7. aph. 34. Gal. 1. ad Glauc. 8. et 1. 4 aph. 12. 59. & 8. de decr. H. & P. & 2. de elem. Gal. 2. de cris. 13. & 3. de nat. f. Gal. 1. ad Glauc. 8. & 1. aph. 12. 59. & 4. regim. a. 2. & 2. de elem. Gal. 7. simp. 23.

& calidus, & tenuis, ut plurimùm esse soleat; iuxtà Pergameni illud. *Ventris morsus ob tenuium humiditatum illuc confluxum oritur*; tum propterea; non, calidis, ac tenuibus; uerùm, frigidis, & craßis; opus habeat. *Etenim, illis attenuandi, his incrassandi; facultas inest*. Quartò ob intensam eandem combustionem insit; tum calidius, eodem affirmante, *combustas gallas calorem ex ustione assumere*; tum, acre, & mordax; iuxtà illud. *Exusta acrimoniam ex non naturalis caloris ustione adsciscunt*. Itidem. *Gallæ cōbustæ acrimoniam ex ustione assumunt*. Item. *Calidi, & frigidi, immoderatiùs aucti; communis est moderatio*. Quemadmodùm contrà; *quæ à summa, caliditate, uel frigiditate, absunt; cutem non mordicant*. Cùm itaque, taliter adustum, Rhabarbarum, acre fiat, & mordax; utiq; tantum abest; ut conscriptis, efluuiis, ac defluuiis, utile sit; reseratosq; affectarum partium meatus, in unum cogere, & constipare; effluentem sanguinem reprimere, lancinatasq; partes ipsas, constrigere, & corroborare; possit; ut contrà ad, ulteriorem, ac intensionem, excretionem salis in clysteribus more easdem potiùs irritet iuxtà illud. *Mordaces materiæ ob mordendi uim omnia intestina ad excretionem irritant*. Mordax autem Rhabarbarum ipsum adustionis intensæ ui reddi; sic me, Palæmone, & Polemone, monstrari (nè demonstrari dicam)

Gal. 9. simpl. 64. Gal. 9. simp. 61. Gal. 4 reg. a 5. Gal. 5. simp. 20. Gal. 7. simp. 23. Gal. 2. de sanit. t. Gal. 7. sim. 23. Gal. 4. simpl. 2. Gal. ibid. Gal. 1. de loc. a. 2.

potest. Omne acre mordax. Rhabarbarum perustum acre. Igitur & mordax. Argumentum est in tertio primæ. Priorem sententiam ex Gal. ueram esse liquet, mordicationem ab acrimonia fieri uolente. Secundam uerò pariter esse ueram constat ideo, quòd, acrimoniam exusta sibi asciscere, idem affirmet. Cæterùm ingruet forsan, in me, uel Galenum, quispiam; dysenterian quidem, acribus, atque mordentibus, eum interdum, & curari præcepisse; &, alium quempiam Medicum iam curasse, affirmantem. Habet enim ipse quodam loco sic. Quippe, ubi uirium roboris fiducia est; adeo contra symptoma nunquã pugnamus, ut contra per ea præsidia, quæ dolorem afferunt, nonnunquam morbos ipsos prorsus curemus. Veluti profectò dysenteriæ mordentibus maximè medicamentis, tum potißimùm medemur; cùm utique, & ipsa est grauißima, & ægroti sunt uires fortißimæ. Demum autem paulò inferiùs hæc subdit. Quidam enim, dysentericos uehementißimo medicamine generosè olim curans; multos quidem uno sanauit die, quosdam uerò iugulauit. Erat enim eius medicandi ratio eiusmodi. Cæpas id genus, quod Græci κάρτον uocant, uno die comedendas cum pane dabat; tum parcum potum; postridie manemuriam acerrimam per inferiora infundebat; secundùm hanc etiam pharmacum ualidum. His itaque tolerandis quicunque sufficere potuerunt,

Gal. 4. simpl. 2.
Gal. inibi.
Obiectio.
Gal. 12. meth. 1.

prorsus sanati sunt. Aliqui uerò, qui sufficere talium remediorum uiolentiæ præ uirium debilitate nequiuerunt; conuulsione, uel animæ ex dolore defectu, unà cum madore cutis oborto; interiere. Nì forsan esset; quòd; cùm medicatoriæ indicationes ab, aere, temperamento, morboq́;, sumantur; hoc est à rebus, & non naturalibus, & naturalibus, & præternaturalibus (hoc autem in nostro supra maius luminare monstrauimus commentario) necnon hæ tres sint, causa, morbus symptoma; profectò; non à symptomate; uerùm à, morbo, & eius causa, depromendas eas essè; sic Gal. affirmat. Nullum symptoma, quà symptoma est, curationis indicationem præstat, uel primùm immutat. Monstratum enim est, ex morbis ipsis curationis indicationem præstari, uelut ex causis prouidentiam. Ex accidenti tamen symptomata quoque curandi rationem aliquando mutant, causæ scilicèt rationem eo tempore habentia. Hæc Gal. Ad propositam itaque rem in præsentia redeuntes; dicimus; ipsam dysenteriam curandam esse; ut plurimùm contrarijs; hoc est, refrigerantibus, incrassantibus, astringentibus, corroborantibus, ac reprimentibus; interdum tamen & similibus, idest mordentibus. Curandam autem contrarijs esse censemus utique, primarium morbum, non eius symptoma, existentem; seu ualida, siue imbecilla, tam ipsa dysenteria, quàm

Gal. ibid. Responsio.

Gal. 9. meth. 14.

Gal. 2. meth. 3.

Gal. 12. meth. 3. & 3. meth. 9.

dyſenterici uirtus, extiterit. Etenim curatio talis, quòd per contraria fiat, regularis erit, optimeq́; progredietur. Contraria nanque contrariorum conſtat eſſe remedia. Quæq́; præter naturam in nobis ſunt; tum contraria indicant, tum contrarijs egent. Etenim, à contrario quidq́;, & in contrarium; perit. Nam morbus ſuæ affectionis indicat auxilia. Quo enim ad qualitates primas; ſi à caliditate ſit; frigida quærit. Si à frigiditate; calfacientia. Si à ſiccitate; humectantia. Si ab humiditate; ſiccantia. Quò uerò ad ſecundas; ſi fuerit à craſſitie; tenuantia. Si à tenuitate; craſſantia. Si à, lentore, ſeu uiſcoſitate; diſſecantia. Si ab obſtructione; reſerantia. Si à reſeratione, aſtringentia. Si à nimio fluore; cohibentia. Si à ualida retentione; purgantia. Si à repletione; uacuantia. Si à uacuatione; replentia. Si deniq; & à continuitatis ſolutione; eiuſmet unitionem. Et hæc de dyſenteriæ; qui, primarius morbus, non autem ſymptoma, eſt; rationali, propriaq́;, curatione. Si uerò dyſenteria ipſa, non principalis morbis, ſed ualidum adeò eius ſymptoma, ſit, ut totam ad ſeſe, poſt habito morbo, curationem trahat (nam, affectus; undè, primùm, maximeq́;, imminet homini periculum; hic primus curari debet; interim uerò, non primus modò, uerùm etiam ſolus; uehemens enim ſymptoma totam quidem interim ad ſe curationem re-

Gal. 11. meth. 12.
Gal. 3. meth. 3 8.
Gal. ibid.
Gal. 1. reg. a. 44.
Gal. 9. meth. 17. & 2. aph. 22.
Gal. 7. 6. ſim. 29. 49
Gal. 5 met. 6. 13. & 12. meth. 6. 8.
Gal. 7. 8. ſim. 29 49
Gal. 11. meth. 13.
Gal. 5. meth. 6.
Gal. 2. catag. 4.
Gal. Hipp. 2. aph. 22.
Hipp. ibid.
Gal. 9. met. 17.
Gal. 3. meth. 9.

uocat) utique uitalis ipsius dysenterici facultas, si ualidißima fuerit, similibus, hoc est mordentibus; sin imbecilla, contrarijs ut superiùs; ob eius curationem utendũ existimamus ideo; quòd, & Galenus, & tantus rei medicæ post diuinum Hippocratem Coryphæus, affirmauerit, atque præceperit; non autem quòd tali per similia curatione nisi in, iuuenibus, temperatis, quadratis, robustißimisq́;, & militibus, & nautis, & agricolis, & pastoribus, & athletis, & baiulis; equidem utendum censeam. Præterea rarò accidit, à grauißima fortißimæ uirtutis ægrum, dysenteria lancinari. Nam, tanti, talisq́;, affectus ui sanguinis plurimum ex ægroti corpore excernitur. Eoq́; excreto planè; & totum refrigescit corpus, & cùm, animalis naturalisq́;, tum uel maximè, uitalis (quæ quidem ægrotantibus omnium maximè necessaria est) necessariò facultates dissoluuntur, & ideo opera naturalia deteriùs obeuntur. Est enim sanguis; tum humorum omnium naturæ familiarißimus; tum totius corporis materia; cùm quidem eius, & alimentum materia sit, & sanguis ultimum alimentum habeatur; tum in summa, primus, ac melior; naturæ thesaurus. Ideoq́; maximè eum natura amplexatur. Præterea; cùm Galenus in undecimo therapeuticæ methodi libro enunciauerit; tum duodecimo capite; præceptum illud. (Contraria contrariorum sunt remedia) non qui-

Gal. 11. meth. 11.

Gal. in de ren. a. d. & m.

Gal. 7. met. ult.

Gal. in de ren. d. & m.

Gal. 1. de hum. n. 29.

Gal. in lib. Quòd a. m c. t. s.

Gal. in sup. lib. de uiu. anat.

Gal. 2. de elem.

Contradictio.

dem, aliquando uerum, aliquando falsum, immo perpetuò uerum, esse; tum capite primo dysenteriam; à, calido, tenui, mordaciq́;, humore prouenientem; non (ut par extitisset) proprijs contrarijs; hoc est, refrigerantibus, incrassantibus, & mordacitatem retundentibus; curandam esse; immo similibus; idest, calfacientibus, attenuantibus, & (quod longè magis est) maximè mordentibus; quales sunt, cæpa, κάρτομ à Græcis appellata; acerrima muria (salitorum piscium ius est) necnon ualidum pharmacum; cur non inuicèm pugnantia eum protulisse, dicendum sit? De hoc tamen in nostro, satis, superq́;, dictum iam est Conciliatore; qui quidem hactenus, septuaginta, & unam, supra quadringentas, complexus est in Galeni sententijs contradictiones. Quintò, & ultimò; quòd propter eandem intensam combustionem Rhabarbarū ipsum reddatur & minùs astringens, quatuor hîc rationibus commonstratur. Prima, à simili topicè deprompta, sit talis. Adustio; quam uim in, chalcitidem, sal, & malum; eandem quidem & in Rha ipsum barbarum; exerit. Adustio, chalcitidi, sali, maloq́;; ingenitam astrictionem remittit. Igitur & Rhabarbaro eandem retundit astrictionem. Consequentia quidem ex eo uidetur esse ualida, quòd à simili sit. Maior autem, seu prior, sententia uera quidem esse uidetur ideo; quòd non in illa, quàm in hoc, maio-

Prima ratio.

rem uim inferre queat aduſtio;nonq́; propterea, maior de illis poßit, quàm de hoc; eſſe ratio. Quàmuis autem maior fortè ſit ratio, de malo, quàm de Rhabarbaro, ob maiorem, illius, quàm huius, compagis mollitiem (hæc enim maiorem igni actionis, occaſionem, & anſam; præbet. Etenim promptiùs, in mollia, quàm in dura, ignis agit) non tamen maiorem, de chalcitide, & ſale, ob intenſiorem, quàm de Rhabarbaro ob remißiorem; ſubſtantiæ duritiem rationem eſſe; dicendum eſt; immo potiùs conuersò, de hoc, quàm de illis, eſſe; eſt affirmandum. Etenim, chalcitis, & ſal; Rhabarbaro quippe ſunt longè, duriora, ideoq́; ignis ipſius uiolentiæ, renitentiora, atque rebelliora. Minorem uerò, ſiue ſecundam, eiuſmet rationis ſententiam; hæ Galeni tres ſententiæ uerã eſſe cõmoſtrant. Prima. Chalcitis, cruda magis, uſta minùs, mordicat; ſed, non minùs deſiccat, & aſtrictionis nõ parum remittit. Secunda. Sal uſtus non perinde ei, qui non exuſtionem expertus ſit, ſolidam ipſam ſubſtantiam, contrahere, conſtringereq́;; poteſt. Tertia. Mala aut in calidis cineribus mediocriter aſſata, aut in bullientis aquæ uaporibus pulchrè percoſta; ſi quidem acerba fuerint, mediocrem aſtrictionem retinent; ſin mediocriter auſtera, aſtrictionem omnem deponunt. Animo tamen aduertendum eſt, acerba magis, auſtera minùs, aſtringere; iuxtà Gal. illud. Auſterum quidem

Gal. 1. ſim. 14.

Gal. 9. ſim. 61.

Gal. 11. ſimpl. 57.

Gal. 2. alim. 21.

στύφον, id est astringens; acerbum autem, στρυφνὸν, hoc est intensè astringens; dicitur. Secunda ratio sit eiusmodi. Omne calidius, magis aperit, ideoq; minùs astringit. Rhabarbarum adustum non usto calidius. Igitur adustum Rhabarbarum non usto, magis aperit, minùsq; astringit. Syllogismus est in tertio primæ, qui Darij nominatur. Prioris sententiæ; tam prior pars eò sanè uera censetur esse; quòd, tum calida aperiant, tum intensiùs calida ualidiùs aperiant, iuxtà Philosophi locum. Magis sequitur magis. Vt, si uoluptas bona, maior melior; quàm secunda; quòd; tum contraria nequàquam simul eidem inesse subiecto ualeant; tum, apertio, & astrictio, sint inuicèm contraria. Secunda uerò syllogismi propositio uera pariter est eò; quòd exusta omnia, calorem, & acrimoniam, ex non naturalis caloris ustione sibimet asciscere, pluribus quidem in locis affirmet optimus Galenus. Adustum Rhabarbarum (ut syllogismi conclusionem resumam) non usto, magis aperit, ac minùs astringit; ideo; tam sanguineis, effluuijs, ac defluuijs; quàm, astrictioni, corroborationi, repercussioniq;, minùs idoneum; hæc enim omnia, quòd contraria contrarijs sint curanda; non quidem apertione, sed astrictione; opus habent. Etenim; tum ad ea, quæ euacuata iam sunt, roboranda, astrictione quidem, non apertione, opus est (nam robur affectæ parti,

Gal. 4. meth. 7.
Secunda ratio.
Arist. 2. top 26.
Arist. in. opposit.
Gal 7. simp. 23. et. 2. de sanit. 1.
Gal. 11. meth 11. 12.
Gal. 1, 2. alim. 18. 21. et. 7. simp. 18.

illa quidem infert, hæc aufert) tum ipsa, effluuia, defluuiaq;; quorum causas; meatuum reserationem; necnon, concoctricis, retentricisq́;, facultatis imbecillitatem, esse constat; in unum cogentibus, & astrictorus; itidemq́; &, emplasticis, seu conglutinantibus; egent. Non enim ab innato calore solùm; uerùm etiam à, medicaminum, & alimentorum, astrictione, concoctionem peragi liquet; ut de croco Gal. affirmat. Tertia ratio sit huiusmodi. Astringentium quodlibet, craßius magis, tenuius minùs; astringit. Rhabarbarum, impensiùs ustum, moderatè subusto tenulius. Ideo Rhabarbarum, impensiùs ustum, moderatè subusto, minùs astringit. Consequentia uiget primæ tertij uigore. Maior ideo uera censenda est; quòd, cùm medicaminum, alia terrena, cassáq;, sint; alia, aera, tenuiaq́;, alia uerò, aquea, & dictorum media; astrictio quidem; non, aer eorum, subtilium, uel aqueorum, mediocrium; sed, terrestrium, & crassorum; est medicaminum propria iuxtà quatuor Galeni sententias. Prima. Astrictio est opera, crassæ, terreæque, frigiditatis. Secunda. Astringentia certè; &, terrea, crassaque, substantia sunt; & frigida qualitate. Tertia. Sal eiusdem generis facultatis est, siue foßilis sit, siue marinus. Verùm hoc inuicèm ambo differunt; quòd salis, ex terra effoßi, substantia magis sit compacta. Ac proinde in hoc maior est, & par-

Gal. 7. simp. 18. Gal. 2. ad Glauc. 2. Gal. ibid. & 1. catag. 4. Gal. 4. aphor. 12. et 1. De cris. et. 1. de hum. n. 32. & 2. alim. 11. et. 7. simp. 28. Gal. 1. simpl. 36. Gal. 2. natural. 4. Gal. 7. sim. 57. Tertia ratio. Gal. 5. sim. 1.

Gal. 7. sim. 18. Gal. 4. simpl. 7.

Gal. 11. simpl. 56. tium craßities, & astringendi potentia. Quarta. Halos achne, ideſt ſpumoſa ſalis efflorescentia, multò quidem eſt tenuieris naturæ quam ſal ipſe; quare, & extenuare, & digerere, multò plus ipſo poteſt; uerùm, quod ſubſtantiæ reliquum eſt, contrahere ut ſal nequit. In quibus ſententijs utique, tam foßilis intenſam, quàm achnes remiſſam, aſtrictionem; illius craßitudini, & huius tenuitati; refert Gal. acceptam. Præterea terræ conteſtes ſunto; tum, frigiditatis, & aſtrictionis; ea Pergameni ſententia, qua aſſerit; extremam eſſe; in igne caliditatem; in aere humiditatem; in aqua frigiditatem; in terra uerò, frigiditatem, ſiccitatem, & aſtrictionem; tum craßitudinis aliæ eiusmet duæ; quarum; altera, aerem tenuem, aquam mediocrem, terram craſſam, eſſe affirmat; altera uerò terram ſecundum propriam rationem, pinguem, ac uiſcoſam, exiſtere; aſſerit. Adde præterea & tertiam Ariſtotelis; qua quidem enunciauit; ignem, cùm ſummè tenuis ſit, maiorem eſſe non poſſe; necnon terram, cùm ſummè ſit craſſa, minorem eſſe nequire. Referendæ autem hæ ſunt acceptæ elementorum; hinc quidem, & caliditas, & raritas, & tenuitas, & leuitas, orbium propinquitati; contrà uerò, frigiditas, denſitas craßities, & grauitas eorundem longinquitati; iuxtà eiuſdem illud. Elementorum, terram grauißimam, ignemque le-

Gal. ibid. 59.

Gal. 1. de hum. n. 14

Gal. 4. ſimp. 2.

Gal. 9. ſimp. 3.

Ariſt. 4. meteor. 1. et. 2. de an. 97.

uißimum, eſſe conſtat ideo; quòd ab orbe locus, illius remotißimus, huius propinquißimus; ſit. Eadem enim eſt de, caliditate, raritate, ſubtilitate, frigiditate, denſitate, & craßitudine; quæ de, leuitate, & grauitate; ratio. Prætere a minor eiuſdem ſyllogiſmi propoſitio uera quidem & ipſa eſt exiſtimanda; quòd, & medicamina, & corpora, tenuia reddat exuſtio; iuxtaq́; Philoſophi locum tenuiora intenſior aduſtio. Quòd autem ea fiant exuſtione ſubtilia; quinæ Galeni, coannuunt, & coaſtipulantur; ſententiæ. Prima. Calami phragmitis, ideſt cannæ cortex, combuſtus; admodùm tenuis efficitur. Secunda. Gallæ combuſtæ ſunt ijs, quæ ignem expertæ non fuerint, ſubtiliores. Tertia. Pumex uſtus alijs omnibus combuſtis ſimiliter ſubſtantiæ tenuioris efficitur. Quarta. Craſſa medicamina craßitiem ex diuturna coctione deponunt; per ignis potentiam, fuſa, & alterata. Poſtrema. Chalcitis uſta undequaque melior eſt quàm non uſta, quòd quidem ipſa tenuior aduſtionis ui reddita ſit, ceu reliqua omnia combuſta. Commonſtratis iam; & ſyllogiſmi conſequentia; &, primæ, ſecundæq́;, eius propoſitionum ueritate; ad primam rediens, ſubdendum cenſeo; quatuor (ad rem quà pertinet) aſtringentium ordines eſſe. Primus quidem ſit, calidorum, ſiccorum ac tenuium; quales ſunt, caſia, & nardus indica. Secundus, calidorum,

cæl. 94. 102. & Auerr. 1. collig. 97.

Ariſt. 2. topic. 26.

Gal. 7. ſim. 4.

Gal. ibid. 23.

Gal. 10. ſim. 39.

Gal. 1. catag. 5.

Gal. 9. ſimp. 61.

Gal. 7.

ſiccorum, & craſſorum; qualia, crocus, & ab
sim. 12. *ſinthium. Tertius, frigidorum, ſiccorum, ac*
Gal. 8. *ſubtilium; qualia, acetum, & roſa. Quartus,*
sim. 2. *(qui, uериſsimè, & efficaciſsimè, aſtringentium*
Gal. 8. *eſt) frigidorum, ſiccorum, & craſſorum; qua-*
meth. 5. *lia ſanè; & balauſtion; &, cùm matura, tum*
Gal. 7. *omphacitis; galla. Quòd autem caſia ſit, cali-*
sim 57. *da, ſicca, tenuis, aſtringens; patet ex Gal. ſe-*
Gal. 6. *ptimo ſimplicium. Quòd nardus indica pari-*
catatop. 1. *ter ſit, calida, ſicca, & aſtringens; common-*
Gal. 6. *ſtratur ab ipſomet octauo eiuſdem. Quodq; & te*
simp. 2. *nuis, octauo methodi. Quòd crocus ſit, cali-*
Gal. 1. 8. *dus, ſiccus, & aſtringens; idem affirmat libro*
simp. 18. 23. *ſimplicium ſeptimo Quodque & craſſus; in*
Gal. 1. *ſexto*, κατὰ τόπους, *ideſt ſecundum locos, libro.*
simp. 20. 22. *Quòd abſinthium, calidum, ſiccum, aſtringens,*
Gal. 2. *craſſum; inuenies apud eundem ſimplicium ſex-*
alim. 21. *to. Quòd acetum, frigidum, ſiccum, tenue; ex*
Gal. 6. *eodem elicito, primo, & octauo; ſimplicium.*
catatop. 13 *Quodque & aſtringens; diſquire; tam ex ipſo-*
Gal. 14. *met Galeno, primo, ſecundo, ſexto, & decimo-*
meth 7. *quarto; ſimplicium, alimentorum, catatopus,*
Dioſcor. l. 5 cap. 14. *ac methodi; quam ex, Dioſcoride libro quinto,*
Aet. l. 14. cap. 25. *& Aetio libro decimoquarto. Quòd & roſa ſit*
Gal. 23. *frigida; uenari fas eſt ex Gal. Secundo, ter-*
simp. 27. 13. *tioque; ſimplicium. Quod, ſicca, & aſtrin-*
Gal. 8 *gens; octauo eiuſdem. Quodque & tenuis; ex*
simp. 79. et 4. catat. *quarto catatop. ac tertio eiuſmet. Quòd balau-*
Gal 3. simp. 10. *ſtium, ſiccet, refrigeret, aſtringat, craſſumq;*

ſit; im-

it; immo; tum strenuè, siccet, ac refrigeret; um ualenter astringat; tum nimirùm crassæ essentiæ sit; ex eiusmet Pergameni simplicium medicaminum sexto expiscator. Quodq́ue & impensè crassum; ex hoc; quòd intensè quidem, & terreum, & frigidum, & siccum, & astrictorium; sit. Nullum enim tale non mediocriter esse crassum potest. Ideoq; non est Medicorum quispiam; qui quidem; ad sanguinem reijcientes; ad dysentericos; adq́;, uentris, uteriq́; profluuia; hoc non utatur medicamine. Est tandem & galla; tum frigida (mediocriter autem; nam secundo tantùm ordine talis est. Quæ autem hunc non excedunt, leuiter esse talia, dicuntur) tum intensè sicca, tertium siccitatis ordinem adepta; tum ualidè astringens (clarum est autem, gallam semper adijciendam esse, quæ uocatur omphacitis) tum impensè & crassa. Nam; quemadmodum, absinthion, & crocus; illud, quòd plurimùm astringens sit, minùs est tenue; hic ob astringendi uim, minùs habet, quàm myrrha, tenuem substantiam; ita & galla ipsa ob ualidam astringendi facultatem ualdè crassa censenda est. Nam, terre, crassæq;, frigiditatis operam astrictionem esse constat. & hæc de tertia ratione sint conscripta. Eadem tamen & aliter potest in primæ secundo sic formari. Nullum tenue, quà tale est, uerè, summe'ue; astringit. Omne adustum tenue. Nullum igi-

Gal. 6. simp. 80.

Gal. 6. simpl. 80. Gal. 7. simpl. 23. Gal. 8. simpl. 97. 98. Gal. 7. simpl. 23. Gal. 5. simp. ult. et. 4. catag. 5. Gal. 4. catag. 5. Gal. 6. simpl. 2. Gal. 6. catatop. 1. Gal. 7. simpl. 18. Quarta Ratio.

tur aduſtum, uerè, ſummeue; aſtringit. Prior ſententia eò ſubſiſtit, quòd (iam iamque dictum ut eſt) craſſæ, terreæque, frigiditatis opera ſit
Gal. ibid. aſtrictio. Secunda pariter eò uera eſt, quòd exuſta omnia fiant exuſtione ſubtiliora, quemad-
Gal. 9. ſimpl. 61. modùm in chalcitide Gal. affirmat. Medicaminum igitur, cùm aſtrictionem, tum ualidam aſtrictionem; eorundem ſubtilitati, necnon hanc illis, ut plurimùm refragari; cenſendum eſt. Vt plurimùm autem ob, acetum, & roſam; hìc ſuperadditum eſt. Hæc tamen omnia fuſiùs à meipſo, determinata, dilutaq;, in Apologia fuere; in laurentium Albinum, præſtantiſſimum Medicum firmianum, olim edita; acetum, quòd tenue, non craſſum, ſit; aſtringere ſatis efficacibus rationibus penitus abnegantem. In ſumma aſtrictio in medicamentis eorum, craſſitie, frigiditate, & ſiccitate, intenditur (ſiccitate autem; tam, uirtuali, & ingenita; quàm, actuali; &, ſub umbra; non à ſole, uel igne; eis illata) contrà uerò, ſubtilitate, caliditate, & humiditate; remittitur; ſiue hæc ingenita ob, temperiem, ac uiriditatem, fuerit; ſiue acquiſititia propter, lotionem, aut elixationem; eisdem inſit. Quòd quidem, intendatur ob craſſitiem, ac remittatur ob tenuitatem; ſatis, ſuperque, monſtratum iam reor. Quòd autem intendatur ob frigiditatem, ac remittatur ob caliditatem; ex hac Gal. ſententia patet; qua aſſerit; tum frigi-

i munus esse, contrahere, & condensare; tum alidi, fundere, & liquare; tum denique & triusque, immoderatiùs aucti, mordicare. Quòd uerò, & augeatur ob siccitatem, ac minuatur ob humiditatem; ex quinis hisce Gal. sententijs elicito. Prima. In rosæ natura; aliud gustantibus, acerbum, & astringens, est; quod, terreum, crassum, & frigidum, necessariò est; aliud, amarum, & aperiens; quod, igneum, tenue, & calidum; aliud, insipidum; quod necessariò quidem, aqueum, & frigidum; sed, tenuitatis, & craßitudinis, medium; est; cuius, aquei, mistura; neque illud acerbum, astringens, terreum, crassum, & frigidum; neq; hoc, amarum, aperiens, igneum, tenue, & calidum; summè sunt talia, qualia dicuntur. Qualitates enim omnes exoluit aquei admistio. Hæc Gal. Secunda. Βάτινα, idest, sycamina, seu mora, matura, ac recentia; uentrem, non subducunt, sed potiùs cohibent; immatura autem, ac priùs exiccata; multò etiam magis cohibent. Tertia. Nux regia (Iuglandem, quasi Iouis glandem, uocant; uel iuuantem glandem per ἀντίφρασιν ut lætum) habet æstringentis qualitatis non exiguum, quæ tandem procedente tempore marcescit, tota eius substantia pinguem in succum transmutata adeò, ut cibo prorsus inepta sit, quòd sua pinguitudine oleo ueteri similis appareat. Cæterùm; quæ, uiridis adhuc est, ac hu-

Gal. 4. simpl. 2.

Gal. 4. simp. ult.

Gal. 2. alim. 13.

mida; neque aſtringentis qualitatis, neque oleoſæ, conſpicuè particeps eſt; ſed magis quodammodo eſt, ἀποία, ideſt qualitatis expers. Quarta. Nux regia, humida quidem apta ad deiectionem eſt, ſicca uerò minùs. Plerique autem uentris ſubducendi gratia cum garo etiam ipſam præſumunt. In quem uſum uiridis eſt accommodatior, ut quæ aſtringentis ſit minùs qualitatis particeps. Quin & ſiccarum quoque, ſi priùs in aqua fuerint maceratæ, facultas uiridibus eſt adſimilis. Quinta. Porrò; quod myrti, ramis, & trunco, tuberoſum adnaſcitur; quam utique μύρτα δα quidam nuncupant; quantò eiuſdem, foliis, germinibus, fructibus, & ſucco, ſiccius eſt; tantò, deſiccat, & aſtringit; uehementiùs. Folia itidem arida uiridibus plus deſiccant; miſcetur enim uirentibus humiditas quædam. Præterea, quòd eadem medicaminum aſtrictio remittatur, aſſatione, ebullitione, & elixatione; duabus hiſce ſententijs affirmat optimus Gal. Prima. Mala, aut in calidis cineribus mediocriter aſſata, aut in bullientis aquæ uaporibus pulchrè percocta; ſi quidem acerba fuerint, mediocrem aſtrictionem retinent, auſtera ex acerbis reddita; ſin mediocriter auſtera, aſtrictionem omnem deponunt, & aquea fiunt. liquet autem, cùm auſtera, tum acerba; illa minùs, hæc magis, aſtringere; iuxtà Gal. illud Auſterum quippe, στύφον, ideſt

Gal. ibid. 28.

Gal. ibid.

Gal. 7. ſimp. 133.

Gal. inibi.

Gal. 2. alim. 21.

stringens; acerbum autem, στρυφνὸν, idest, in tensè, austerum, seu ualde astringens; dicitur. Item. Austerum Græcis idem sibi uult, quod mediocriter astrigens, Acerbum autem; quod, ualdè, & uehementer; id facit. Genus utriusque commune, astrictionis uocabulo signatur. Item. Acerba poma in eo quidem ab austeris differunt, quòd ualentiùs astringant. Commune autem ipsorum genus est astringens. Secunda sententia. Solida corpora, quæ in aqua elixantur; qualitates, quæ initio sibi inerant, in aquam ita deponunt; ut tandem, ἄποια quæ uocant, & aquosa, euadant; neque salsedinis, amaritudinis, acrimoniæ, uel astrictionis; quicquam habeant. & hæc de tertiæ methodi ratione sint dicta.

Gal. 4. meth. 7.

Gal. 4. catag. 5.

Gal. 2. alim. 21.

Gal. 3. alim. 32.

QVARTAE METHODI RATIO.

RHABARBARVM OB DIVERSOS affectus diuersimodè, hoc est ob alios crasiùs, ob alios tenuius, esse puluerandum.



HABARBARO (par ut esse monstratum est) iam subadusto; fuerit'ne idem eodem semper modo; tam ob, lienterian, & dysenterian; quàm ob, ieco-

rarium, uterarium, renale, & uesicarium, sanguinis defluuia; necnon &, narium, oris, pectoris, ac pulmonũ, cruoris effluuia; puluerandum? Profectò minimè; nam ob, lienterian, & dysenterian, in craßiusculum puluerem; ob reliqua uerò nunc conscripta, tam defluuia, quàm effluuia, tenuißimum ueluti in pollinem; erit me Palæmone redigendum. Etenim; cùm, lienteria, ac dysenteria, intestinorum sint morbi iuxtà illud. Δυσεντερία, idest intestinorum tormina; reliqua uerò; tam defluuia, hepatis, uteri, renum, & uesicæ; quàm effluuia, pulmonum, & pectoris, affectus sint; quarum partium, prior illa amplißimos, hæ uerò posteriores angustißimos, obtinent meatus; profectò, prior pars, crassa, non tenuia, sibi exposcit; nè hæc præ nimia subtilitate, non in ipsis intestinis remaneant; sed per messaricas uenulas in, iecur, renes, ac uesicam, prodeant (tenuia enim in talia promptißimè loca suapte natura progrediuntur, indeq; lotij plurimum detrahunt) posteriores uerò partes conuersò planè, subtilia ob angustos, qui ad eas pertinent, meatus, non crassa, quærunt medicamina; quòd quidem, & per contactum actiones Aristoteli fiant; &, tenuia magis, crassa minùs; tota corpora penetrent; necnon, illa facilè, hæc difficilè, trahantur. Quòd autem; intestinis crassa, reliquis autem, iam connotatis, corporis partibus tenuia, sint ex usu

tormina. 2. meth. 2.

Gal. 6. simp. 21. 31.

Arist. 7. phys. 2. Gal. 10. simp. 3. Gal. 1. simp. 12.

medicamina; bellißimè faſſus eſt quodam loco Galenus. Etenim quendam in ſui temporis Medicum inuectus eſt; qui planè, cùm aluum ægroto cuidam uoluiſſet Dioſpolitici facultate deijcere; lotij quidem ei plurimum, citrà tamen inteſtinalium excrementorum ſubductionem, caſu eliciut ideo, quòd talis Antidoti nimiùm ſimplicia, pulueraſſet, inq́; tenuißimum pollinem redegiſſet. Habet autem ſic Galenus ipſe. Omnia Diacalaminthæ ſimplicia ſimul, tundenda, cribrandaq́;, ſunt tenui cribro. Quippe eiuſmodi medicamenta in totum corporis habitum maximè digeruntur. Veluti è diuerſo craßiora in uentre hærent, ut quæ anguſta uenarum oſcula ſubire nequeant. Quamobrem etiam medicamentum, quod Dioſpoliticon uocant, craßius facere ſoleo, quoties per id aluum ſubducere ſtudeo. Quidam uerò, Medicus, id non intelligens; cùm, tenuißimum, minutißimumq́;, pollinis inſtar feciſſet; ut, aluo deijciendæ nihil contulit, ſed urinam ſanè plurimam mouit; mecum rem communicauit, mirans, ac ſciſcitans; ueram eius effectus cauſam. Ipſe enim arbitrari ſe aiebat hominis, cui talem Antidotum propinauerat, intemperantiam (nam ita appellabat) eius, quod inciderat, cauſſam eſſe. Vt uerò, propriam, ex me, cauſam didicit eſſe compoſitionis rationem; poſtmodum aliter, Dioſpoliticon ipſum, compoſuit meliore ſucceſſu. Hæc Gal. Subindeq́; ſubdit. Ac huius Gal. 4 de ſim. t. 7.

præcepti in omnium medicamentorum compositione meminisse expedit. Propositum uerò in præsentia medicamentum, quam Diacalaminthen diximus, omnia, non quidem ut Diopoliticon crassa, uerùm prorsus subtilia, postulat; quò facillimè in omnem corporis partem, digeratur, feraturque. Ex hisce nanque Galeni sententijs uel facilè quidem expiscari methodum rationis hamo possumus; medicamina ob detersionem; intestinorum craßiùs; pectoris autem, pulmonum, iecoris, uenarum, lienis, renum, uteri, uesicæque, subtiliùs; esse pulueranda. Methodum hanc ex ipsomet Gal. talibus deprompsit uerbis Mesues. Inquit Galenus. Cuminum, crassè pulueratum, cùm quidem intestinorum ex se purgatorium sit; tenuißimè pulueratum, renes, ac uesicam, expurgauit, urinæq; plurimum indè elicuit. Nam, acria, purgantiaq;, pharmaca, tenuißimum in pollinem redacta; nouam quidem adeò facultatem acquirunt (inquit idem Autor) ut in ea corporis intima penetrent, in quæ priùs erant ex sese progredi inhabilia. Et hæc, satis, superq;, sint de quartæ methodi ratione dicta.

Gal. ibid.

Mes. in can. uniu. 3.

Mes. inibi. 4.

QVINTAE METHODI RATIO.

RHABARBARO IAM SVBVSTO, ET PVLVERATO, QVAlianam, quæq;, sint commiscenda.



V`M iam, satis me palæmone, superq;, & monstratum, & demonstratum, fuerit; ipsum Rhabarbarum; ob, lienterian, & dysenterian, craßiùs; ob sanguinea uerò, tam inferiora defluia, quàm superiora effluuia, tenuiùs; esse puluerandum; erit'ne ipsum (candide, benigneq;, lector) & solum, & citrà aliorum commistionem; an potiùs alijs quibusdam ei permistis; exhibendum? Porrò minimè. Fuerit enim ægrotanti, non merum, sed alijs quibusdam ei coniunctis; exhibendum. Etenim internarum nostri corporis partium; aliæ propinquiores sunt (uidelicet ori, per quod alimenta, ac medicamenta, primùm ingeruntur) qualia, uentriculus, & intestina; aliæ longinquiores; ut, iecur, & lien; aliæ uerò longinquißimæ; ueluti, cor, & pulmo. Quòd uera hæc sint; taliter affirmat optimus Pergamenus. Medicamen, quod ad pulmonem sit peruenturum; primùm quidem, os, fauces, & stomachum; deinde, uentriculum, & quædam ex tenuioribus intestinis, transire oportet;

deinde eas, quæ ſunt in meſenterio, uenas; deinde eas, quæ in cauis partibus hepatis; ex quibus ad eas, quæ in gibbis, tranſumitur; hinc ad concauam peruenit uenam; poſt quam ad cor; deinde ad pulmonem. Hæc Gal. Quoniam autem ingeſtorum medicaminum, facultates, ac uires, inter eundem obiter, magis, & maximè, redduntur imbecilles (ob longinquas enim debiles, ob remotiſsimas debiliſsimæ, fiunt) ideo, quòd, quæ in profundo corpore, ſunt, & latent (à, ſitu, figuraq;, indicatione ſumpta) ab ijs, quæ apparent, diuerſam, curationem poſtulent; rationales Medici decreuere nonnulla eis commiſcere; quæ, facultates, ac uires, id genus, tum corroborare, tum in affectas ipſas partes deducere, poſsint; tum præterea eaſdem partes, cùm odoris iucunditate, tum ſaporis ſuauitate; non modicùm oblectare. Primùm quidem igitur, quòd medicamentorum facultates imbecilles obiter fiant; tribus hiſce commoſtrat Gal. ſententijs. Prima. Quæcunque in profundis, corporis partibus laborant; ualentiora medicamina requirunt, quàm quæ in ſummo corpore ſunt affecta. Quare intẽdere hæc eàtenus oportet, quà tenus pertranſitum ad profundum ſunt remittenda. Secunda. Inteſtinorum, ulceribus affectorum; ijs, quæ ſunt, uentriculo uicina, ideſt gracilia; per, comeſta, bibitaque, ſuccurritur; ijs uerò; quæ ſunt, inferiùs ſita, ideſt craſſa; per

Gal. 2. ad Glauc. 2.

Gal. 4. meth. 7.

ea, quæ inijciuntur; quando; neque ad ea, quæ uicina uentriculo sunt, subire potest, quod per sedem infunditur; nec integris uiribus ad inferiora pertingere, quod per os est ingestum. Ideoq; etiam; quæ ulcera in, thorace, & pulmone, consistunt; tum difficiliùs ijs, quæ sunt in uentriculo, sanantur; ut, quorum situs longiùs absit, atque idcirco medicamentorum uis remittatur; tum propter hoc ipsum multò ualentiora ea, quæ deuorentur, præsidia requirunt. Tertia. Negare non possumus; quin, medicamen, & alimentum, intrò in corpus assumptum, in singulis huius partibus; tum quibusdam commisceatur humoribus; tum quandam pro uisceris, per quod transit, natura, transmutationem, atque alterationem; capiat. Quare, quod de eius uirtute relinquitur, minus omnino est, atque imbecillius; quàm ut affectum membrum, ex se solo iuuare poßit. Demum autem; quòd eorundem medicamentorum uires, & itidem, fiant in longo itinere debiles, & ideo roborantium commistionem expostulent; sic breuiter asserit idem Gal. Quæ in summo corporis phlegmone laborant; ea, proprijs phlegmonæ, remedijs curantur. Quæ autem in alto sunt corpore; curanda sunt, si cum his acrium aliquid medicamentorum sit immistum. Resoluuntur enim eorum uires, dum altè descendunt. Vt autem altiùs ordiar; hæc subdenda ueniunt. Medicaminum, tam expurgan-

Gal. 5. meth. 11.

Gal. 2. ad Glauc. 2.

Gal. 13. meth. 3. dist. 3. test.

tium, quàm alterantium; alia planè calida sunt; alia, frigida, ac stupefacientia; alia astringentia; alia tam olfactui iniucunda, quàm gustui insuauia; alia uiolenta. Talium autem medicaminum singula, stomacho, uentriculo, iecinori, intimis alijs partibus; ac ex consequio sanitati, uitæq;, sunt admodùm, contraria, & noxia. Communis autem omnium internarum corporis, partium indicatio est; ut, tum ea eligantur, quæ animalis naturæ sint maximè familiaria (siue ea cibi sint, seu medicamina) tum huic contraria, fugiantur, ac respuantur. Quas ob res

Gal. 4. meth. 7.

commiscenda, Galeno Palæmone, meq; Polemone, sunt; tum, calidis, frigidisq;, calida, tenuia, & odorata; quorum, & caliditate, subtilitateq;, ea in corporis intima deducantur; & redolentia stomachus roboretur; tum præterea astringentibus, craßis, ac lentis, & eamet ob eosdem fines; & astringentium, crassorum, refrigerantiumq;, non nihil ut astrictoria eorundem uis coadiuuetur; tum denique & uiolentis mitia quædam; eorum uim, ingenita, propriaq;, lenitate eorundem uim, retundentia, ac demulcentia. Ob, calidorum, & purgantium, fidem; binas hasce Galeni coauscultato sententias. Prima. Cùm quidem omnia, quæcunque purgant, medicamina; uentriculum lædant; & maximè eius ostium; quòd, & quamplurimis, sensorijs, neruis constat, & ideo acutè sentit; excogita-

tum est beneuolentia purgantibus ipsis commiscere; nè, sola, atque syncera, eorum uis ostium uentriculi attingat. Oportet autem admista semina talia esse; quæ, & medicamenti malitiam retundere; & eius opus non impedire; & humores, tum crassos attenuare, tum, lentos, dissecare; & uias, per quas educi debent, aperire; ualeant. Secunda. Affectarum partium curationis scopus est, ut odoratas ipsis qualitates imponamus; quales, & aromatum sunt; uelut, casiæ, amomi, cinnamomi, zingiberis, piperis, huiuscemodiq́;; & quorundam seminum, in ciborum usum uenientium; ueluti sunt, anisum, apium, cuminum, daucus, & seseli. Iuxtà hanc itaque rationem Hippocrates, in pleuriticis purgatiuum exhibens medicamentum, ex his aliquid misceri iußit, sic scribens. Si uerò, sub septo transuerso sit dolor, & ad clauiculam non se extendat; mollire uentrem oportet, ueratro nigro, aut peplio; ad ueratrum quidem, dauco, seselide, cumino, aniso, uel alio quopiam odorato; addito. Apparet enim in his miscendis odorem ipsorum maximè respiciat; quò medicamentariam uim, quæ hominis est naturæ contraria, mitiget, ac obtundat. Quemadmodum enim graueolentia omnia stomachum subuertere solent; sic odorata corroborare. Propter, fidem, ac ueritatem, refrigerantium, ac stupefacientium; mentem lector in hanc Gal. sententiam conuer-

Gal. in lib. Quos. p. c. q. m. & q. t.

Gal. 8. catatop. 3.

Gal. ibid.

Gal. inibi.

tito. Castorium, & piper; uehementem opij frigiditatem corrigunt, huic fermè qualitatibus opposita. Item in hanc. Refrigerantibus, ac stupefacientibus; qualia, & opium, & hyoscyamus, & cicuta, & mandragora, sunt; calfacientia, qualia sunt, apium, piper, myrra, cinnamomum, castorium, & huiusmodi, sunt commiscenda; ut illa, quæ quidem ex se tardi transitus ob ingenitam frigiditatem sunt; per dolentium corporum altum horum, & caliditate, & subtilitate, deducantur; utque illa eandem; quorum usu uiuentium corpora, insensibilia fiunt, mortificationiq; simile quidpiam perpetiuntur, adq; frigiditatem immedicabilem perducuntur; horum, tenuitate, & caliditate; retundantur. Obuertitatem, astringentium, crassorum, & frigidorum, medicaminum; eundem Gal. pariter auscultato, sic dicentem. Quoniam quidem ea, quæ crassarum sunt partium, medicamenta; neque facilè, ex se, moueri possunt; neque ut, minutim concidantur, prorsumq; ferantur, ex suapte natura obtinent; ideo adscititiam, aliorum, tenuitatem, & caliditatem, requirunt; quæ ea, & in minuta, secent, tenuent, comminuant; & in subtiles partium omnium meatus ueluti manuducant. Si enim illis hæ absint; cunctantur, tardantq;, maioribus in meatibus hærentia; necnon, uenis, & arterijs, innatantia; temporis spacio interim per, longos errores, ac multas

Gal. ibidi

Gal. inibi.

iactationes; ab humoribus, qui in eis ſunt, uiciſſim nonnihil perpetiuntur. Nam; & qualitates omnes in ſeſe mutuò quadantenus agunt; & lapis ab aßiduo aquæ ſtillicidio exacuitur; & gladius, ceram ſecando, hebetatur. Item alibi. Quæ magnopere, auſtera, acerba, & aſtringentia, ſunt; primo ſtatim contactu ſuperficiem denſantia; humorem, ingredi, imbibiq;, prohibent. Itidem. Porrò; quæ, frigida ſunt, & craßioris eſſentiæ; omnino nullum introducere humorem queunt. In quibus uerò, tenuis pariter, ac tepida, ineſt humiditas; hæc quidem per eſſentiæ, tenuitatem, ac tepiditatem, promptè mobilia cùm ſint; corporum, quæ contingunt, meatus ſubire nihil prohibet. Alio præterea quodam loco talia ſcripta reliquit. Quæ tenuium ſunt partium, medicamina; ijs, quæ craſſarum ſunt, plus quidem ſunt efficacia (etiã, ſi parem ſortita ſint facultatem) nimirùm quia, penetrent, inq; admotorum corporum altum ſubeant; potißimùm ſi ea denſa fuerint, ueluti neruacea. Quas ob res ad eundem Gal. mentem in præſentia conuertito, Andromachum damnantem, quòd ſuo cuidam aſtrictorio in ſanguineam reiectionem pharmaco, calidi, tenuisq;, nihil addidiſſet; quod, tam, acacian, roſam, & balauſtium, aſtringentia; quàm, gummi, tragaq; cantan, uiſcoſa; corporis in penetraria deduceret. Habet autem ſic. Manifeſtum eſt; tum,

Gal. 3. ſim. 18.

Gal. inibi 17.

Gal. ibid.

Gal.. 11. ſimp. 16.

acacian, rosam, & balaustium, astringentia; tum, gummi, & tragacanthan, uiscosa, ac glutinosa; pharmacum hoc habere. Igitur impossibile est adusque, thoracem, & pulmonem, ipsum per se deferri; si non habeat, quæ, tam astringentia; quàm, uiscosa, tenaciaq́;, deducant. Et (quod his ampliùs accedit) neque mellis quicquam eius compositor, Andromachus, addidit; sed per aquam pluuiam, quæ & ipsa astringentem uim habet; ipsius, tum compositio, tum exhibitio, tradita est; ut ad sanguinis è, stomacho, uentreq́;, eductiones conuenire poßit. Propter fidem etiam, tam olfactui iniucundorum, quàm gustui insuauium, medicaminum; geminas hasce coauscultato eiusdem Galeni sententias. Prima. Odorata simplicia compositis medicaminibus adduntur; ut, iniucundorum, & medicamentosorum, qualitatis peregrinitas; illorum, & refrangantur, & uincantur; redolentia. Secunda. Plurimi Medici (neque in hoc malèfacientes) hæc familiaria semina; uidelicèt, apij, cumini, dauci, petroselini, anisi, & quæcunque eiusmodi sunt; composito medicamini addunt; quò, tum amarorum medicaminum in iucunditatem mitigent; tum totum pharmacum ad, distributionem, & urinæ propulsionem, instigent; tum, humorum attenuari si craßitudo expetat, etiam hoc ipsum faciant. Tandem ob ueritatem, & uehementium, & uiolentorum, medicaminum; quinas

Gal. 7. catatop. 16.

Gal. 8. eiusmet. 3.

Gal. 9. eiusmet. 17.

quinas hasce perpendito eiusdem sententiolas. Prima. Contrariorum misturæ summitates frangunt. Secunda. Fortia pharmaca, mitigatoriorum admistione lenita; moderata fiunt. Tertia. Temperata, qualia sunt dulcia; uiolentia quidem, ac fortia; contemperant medicamina. Quarta. Oleum; cera; thus; arundinis, tam cortex, quàm radix, usta; amygdalæ amaræ; &, quæ eius sunt generis; fortium medicaminum uires exoluunt. Quinta. Thus, glycyrhizæ succus, tragacantha, ac gummi; uehementium medicaminum actionem retundunt, exasperataq; leniunt. Cùm igitur liquidò iam constet, subusto, pulueratoq;, ipsi Rhabarbaro; calida, tenuia, astringentia, refrigerantia, crassa, suauèredolentia, iucundeq; sapida, commiscenda esse; quæ, tum, stomachum, & uentriculum, redolentia, dulcedineq;, delectent, & corroborent; tum, caliditate, & subtilitate, ipsum in corporis intima conuehant; tum eiusmet astrictionem propria astrictione coadiuuent; tum denique &, tam frigiditate, quàm crassitie, tenues humores incrassent; quænam talia fuerint? Sanè; ob, primum, secundum, ac tertium; indica nardo satius est nihil. Ea nanque, quòad substantiam tenuis est; nam odorata, subtilia quadantenus sunt, & calida; quoque ad qualitates; tam primas, calida existit; necnon, uentris, intestinorumq;, fluxiones exiccat; quàm secun-

Gal. 3. simp. 16.
Gal. 2. catatop. 26.
Gal. 7. simp. 18.
Gal. 1. catatop. 2.
Gal. 7. eiusdem. 2.
Gal. 4. 7. sim. ult. 3.
Gal. 8.

simp. 2. das; & suaui redolentia pollet (Ideoq; bellè odo-
Gal. ibid. rata medicamina reddit; quæ sanè, quòad fieri
Gal. 8. ca- licet, seruata eorum utilitate, iucundißima sunt
tatop. 9. facienda) & astringit, ideoq; corroborat. Vt
Gal. 1. proinde Rhabarbari ipsius coadiuuandis uiribus
eiusd. 23. ea quidem, efficaciùs, atque præstantius; esse ni-
Gal. 4. de hil poßit. Ob secundum autem, ac tertium;
sanit. t. 7. commiscendum eidem est Rhabarbaro uini quid-
Gal. 8. piam; non tamen eiusdem semper, & consisten-
simpl 2. & tiæ, & coloris, & saporis, & speciei; sed, ob,
3. catag 8. lienterian, dysenterian, astrictionem, & cor-
Gal. 9. ca- roborationem; substantia craßi; qualitateq;,
tatop. 3. nigri inodori, austeri; & anniculi ob reliqua uerò, tam defluuia, quam effluuia; tenuis, flaui, aromatici, acris, antiqui. Nam; illud astrictione; tum, stomachum, uentremq;, calida affectos intemperie, firmat; aluiq; fluxiones cohibet; tum præterea & ingenitam Rhabarbari

Gal. in de coadiuuat astrictionem; est enim, illud uinum
cib. b. & m. astringens; hoc propria, tam subtilitate, quàm
s & 2. al. caliditate; ipsumet in affecta corporis intima de-
40. ducens. Astringentia enim (quorum unum, cùm

Gal. 12. sanè crudum, tum subustum, Rhabarbarum est)
meth 4. nisi habeant, quæ ipsa deducant, in corporis intima ex sese progredi nequeunt. Opus igitur

Gal. 7. ca- hæc, tam calidis, quàm subtilibus, habent, ue-
tatop. 16. ctoribus, ac ducibus. Etenim, faciliùs penetrant, inq; admotorum corporum altam subeunt, tam calida frigidis (est nanque caloris natura,

partes aperire, & extendere) quàm tenuia crassis. Rhabarbaro autem uia quidem est; à uentriculo in, uentrem, intestinaq;, latißima; in, iecur autem, renes, uterum, uesicam, & pulmonem; per, messaricas, siue emulgentes, uenulas angusti[illegible]ima. Vt proinde, uectores, ac duces, ei, satis, superq;, futuri sint; tum quidem in, intestina, ac uentrem, indica nardus, & nigrum uinũ (ut, iam dictũ est) tum in, iecur, renes, uterum, uesicam, & pulmonem; cum eadem indica, flaui, bene redolentis, acris, tenuis, & antiqui, uini quidpiam; quale est; ex Græcia monobaticum, maluasia uulgò dictum; exque Piceno syriolense. Est autem Syriolum castellum quoddam, ob uini generositatem non incelebre; lauretum; & Comarum, Anconæ montem, cuius radicibus à meridie adiacet; interiacens. Animo tamen aduertendum est; ut cum hisce semper quidem unà concoquantur; ob, renes, uesicamque, sarxiphagon; ob uterum, artemisia, atque parthenion; obque pulmonem adianton. & hæc scripta sint ob tertij quidem, & astrictionem, & penetrationem; unà coadiuuandas. Ob solam uerò eiusmet, itendendam, & coadiuuandam, astrictionem; ex usu pariter fuerit decocto superindere; primùm, œnanthen, rosam, & cassutham (cuscuta uulgò Recentioribus dicitur) Sint autem hæ sub umbra siccatæ Nam exiccata uehementiùs quàm uiridia, siccant, &

Gal. 4. 11. sim. 12. 16
Auerr. 4. collig. 2.
Gal. 11. simp. 16.

Gal. 7. simp. penul. Gal. 4. simpl. ult.

Gal. 2. catatop. 26

Gal. 5. meth 15.

Hep. 4. aphor. 10.

Dioscor. 3. lib. 18. cap.

Diosc. inibi. 125.

astringunt. Miscetur enim uirentibus humiditas quædam. Aquei autem admistio qualitates omnes exoluit. Demum & myrti, folia, baccasque. Postremò; & malicorium; &; cùm, cytinum, maturamque gallam; tum, balaustium, gallamque ompacitidem; &, tam citrinum myrobalanum, quàm rhòon. Tali pedetentim ordine equidem (lector) utendum censeo, si quidem imminens citrà periculum conscripta iam, defluuia, ac efluuia; fuerint. Tunc enim, non quippe statim ab initio efficacißima adhibere, sed ab imbecillioribus auspicari; conuenit. At, siquando prorsus ægro moriendum est, si phthoe semel exceptus sit; alienßimum à ratione est, à minoribus incoasse. Etenim in ualde acutis eadem quidem oportet die medicari. Tardare enim in talibus malum. Vt autem &, conscriptorum iam, medicaminum facultates, ad rem hanc facientes, in medium ponantur; hæc subdenda ueniunt (est enim mibi quidem in animo iamdiu propositum; in meis, quanta, qualiaque sint, nihil operibus scriptum relinquere; non quod, experientia, ratione, saltem'ue approbatorum Autorum sententia; commonstrem) Sarxiphagon igitur, uesicæ calculos frangit, urinamque ciet. Artemisia; tum, partus, & secundas, detrahit; tum ad uuluæ, præclusiones, ac inflammationes, adijcitur; tum ad uteri fomentationes utilis est; mo-

dicè quidem, & quò ad substantiam tenuis existens, & quò ad prima qualitates, calfaciens, siccansq;. Parthenij decoctum in uuluarum, duritie, & inflammatione; ualet. Vt proinde, tam illa, quàm hoc, uteraria sanè dici medicamina poßint; in uterum uim, cumq; utero proprietatem; habentia. Nam huic quidem Gal. astipulatur, insulsißimum illum Thessalum redarguens, nullum medicamentum esse, censentem; quod propriè, nephriticum, hepaticum, pleuriticum, uel uterarium, uel quidpiam eiusmodi aliud; sit. Præter hæc adianti decoctum prodest, spirandi difficultati, suspiriosisque, nec non urinæ difficultati, menstrua ciet, sanguinisq; reiectiones inhibet. Oenanthe astringit. Rosa, rubens, sicca; planè; quò ad substantiam tenuis est; quoque ad qualitatem; & primam refrigerat; & secundam mediocriter astringit; & tertiam; tum fluentem humorem optimè cohibet; tum, putredinosas, uenenosasque, facultates omnes corrigit. Cassutha, astringit, & corroborat. Myrtus, ac eius baccæ; cogunt, astringuntque. Malicorium sufficientißimam astringendi uim obtinet, inque decoctionis initio ob eius craßitiem est intra libetem inijciendum. Præterea; cùm quidem, punicæ, seu granatæ, mali; hortensis cytinus, agrestisque balaustium, flores sint; planè, licèt ambo ualidè astringant, ille tamen minùs, hoc magis; astringunt.

Gal. 6. sim. 64.
Diosc. lib. 3 cap. 156.
Gal. 5. sim. 13.
Diosc. 4 li. 187. cap.
Gal. 8. meth. 5. et. 13.
meth. 3. dist. 9 test.
Gal. 3. simp. 17.
Gal. 8. catatop. 3.
Gal. 4.
Gal. in de ocul. 5. partic. 6. cap.
Gal. 8. catatop. 9.
serap. in de sim. 69. c.

Gal. 1. catatop.26 Gal. 6. catatop. 3. Gal. 6. simp.80.

Plantarum enim, cultæ quidem ægriùs, incultæ ualidiùs; proprios, suosq́; effectus exerunt; hoc est, illæ debiliùs, hæ fortiùs &; quo ad primas qualitates, calfaciunt, refrigerant, siccant, humectant; & quò ad secundas, attenuant, dissecant, abstergent, discutiunt, aperiunt, concoquunt, digerunt, astringunt, reprimunt, corroborant; & unico uerbo, hæ quidem in omnibus, præter humectationem; sunt illis generosiores. Nam, illis ex cultura humiditas, his ex incultura siccitas; accedunt. Aquei autem admistio qualitates omnes Galeno exoluit, præter humectationem quam quidem exauget. Ideoq́; Medicorum, qui curandi tractatus conscripserint, quispiam non est; qui quidem; ad sanguinem reijcientes, ad dysenterian; adq́ue, tam uentris, quàm ulteri, profluuia; cùm cytinis, tum balaustijs; non utatur. Præterea, cùm matura, tum omphacitis, galla (redeo enim nunc ad eorundem medicaminum uires) illa ob maturitatem minùs; hæc ob, immaturitatem, & acerbitatem, magis; astringunt, omnibusq́; fluxionum affectibus resistunt. Item & citrinus myro balanus est quidem; &, primo frigidus, secundo siccus, ordine; &, superfluos, putrido q́;, humores absumens; &, relaxatas, proindeq́ue imbecilles redditas, partes; in unum cogens, astringensq́ue, & corroborans. Tandem & rhus; cùm planè culinarium, siue obsoniorum; tum co

Dioscor. in proœm. & Gal. 6. sim. 151. et.2.de Antid.14. & in de atten. u.r.2. Gal. 6 simp.151. Gal. 4. sim. ult. Gal. 6. simpl. 80.

Gal. 7. sim. 23.

Mes. in de simp.cap.2

riarium; ſecundo refrigerat, tertioque deſiccat, ordine; Item, cum ille, tum hic, generoſiſſimè aſtringit. Eſt enim, cùm ille prior, tum hic poſterior; multùm auſteræ, ideſt acerbæ, qualitatis particeps. Id genus autem arbuſtum dictum eſt; tum grecè ῥοῦς, ὄος. ὁ. & latinè; rhus ſymmachi; uel ſymmachum, forſan à ſymmacho, (quicunque is fuerit. Etenim, plures fuere, & nobiles uiri; ſymmachi) eius facultatum inuentore; & uulgò ſummacco, quaſi ſimmaco; ab eiusdem inuentoris nomine; tum denique & duplex Galeno eſt; alterum, culinarium, ſiue obſoniorum; quòd eius fructu coqui in obſonijs utantur; ἐπὶ τὰ ὄψα; qui, ἐρυθρὸς, καὶ μαγειρικὸς; alterum, coriarium, tinctorium, exiccatoriumq́;, & aſtrictorium; quòd eius pariter fructu, cerdones, & coriarij artifices; ob, tingenda, ſpiſſandaq́;, coria uti ſoleant; ideoq́;, græcè βυρσοδεψικὴ, latinè excoriarium; appellatur. Quoniam autem dictum iam eſt; rhoon dictum latinis eſſe, rhun ſymmachi, uel ſymmachum, à ſymmacho, facultatum eius inuentore; nec me præterit (o lector) temetipſum nequàquam præterire, etiam nonnullas alias plantas fuiſſe à proprijs earundem uirium inuentorum nominibus olim denominatas, Etenim, Plinio, Dioſcorideque, conteſtibus; propria, ſuaque, nomina deprompſere; tum climenos à Rege, nomine climene; tum gentiana à Gentide, Illyrico-

Gal. 8. ſimp. 82. Gal. 4. catag. 5. Gal. 8. ſim. 82.

Gal. ibid.

Plin li. 27 cap. 7.

Plin. ibid. & Diosc. lib. 3. cap. 3 Plin. inibi

rum Rege; tum lysimachia à lysimacho (undè, quemadmodum lysimachia à lysimacho, ita pariter & symmachum à symmacho; propria, suaque, deprompsere nomina) tum artemisia

Plin. ibid.

ab Artemisia, Mausoli, cariæ Regis, uxore; tum nymphæa, quæ nenufar uulgò dicitur, à nympha quadam, zelotypia erga Herculem mor

Plin. inibi.

tua; tum euphorbia, ex qua euphorbium elicitur, ab Euphorbo, Antonij Musæ, Augusti Archiatri, fratris; ac Iubæ Regis Medico; tum de

Plin. ibid.

nique &; panacæa chironia; &, tam maius, quàm minùs, centaurium; à Chirone centauro.

Plin. inibi cap. 4.

Postremò ob nouißimum commista rhabarbaro sunt; cùm; œnanthe; rosa; myrtique, & baccæ, & folia; tum, malicorium, cytinus, balaustion, utraque galla, myrobalanus, ac rhus; quorum; rosa non absque dubio ob tenuitatem; sequentia autem dubio procul, ob, crasitiem, & frigiditatem; subtilem, & calidum tam defluuiorum, quàm efluuiorum, sanguinem: incrassant, refrigerantque; si quidem à ueritate digressus nequàquam Gal. fuerit; incrassandi facultatem, frigidis, crasisque, essentijs inesse;

Gal. 5. sim. 20.

affirmans. & hæc, satis, superque; iam sint ob, primæ, secundæ, tertiæ, quartæ, quintæque, methodi rationes; ac ueritatem; conscri-

Ανανεφαλαίωσις. Contradictio.

pta. Verumenimuerò præceptum cùm iam galenica, lingua, tubaque, superiùs fuerit; astringentibus medicamentis, calida, atque

tenuia, esse commiscenda; quorum ui; & angusti, obstructique, corporis meatus dilatentur; & astringentia ipsa per tales in eiusdem intima deducantur; huc quidem notabilis quædam galenica contradictio uenit, in medium adducenda, ac denique pro uirili concilianda; quæ talis est. Pergamenus ipse quodam loco sic habet. Omnia astringentia, contrahunt, ac condensant, meatus; ad hæc, uinciunt, ac continent, partium, sibi inuicèm cohærentium substantium; atque, minùs, magisq;, hoc pro astrictionis quantitate efficiunt. Cæterûm corporis, quod astringitur, summa, astringendo, ac densando; uirtus illorum, excluditur, & in altum ire prohibetur. Ob quam rationem pulcrè Medicorum nonnulli alia, subtilium partium, & acri, idest, calida, sicca, uellicanteq;, potestate prædita; huiusmodi pharmacis indere cogitauerunt; à quibus, ueluti ductæ, astringentium ipsorum uires in profundum corpus perueniant. Hæc ipsæ. Gal. 4. cartag. 5. Quamobrem; cùm Andromachus, Neronis Archiatrus, medicamentum ex, acacia, rosa, balaustio, gummi, tragaq; cantha, & aqua pluuia, in sanguinis reiectionem composuisset; huiusmodi medicamen in quodam suorum operum loco Galenus ipse conscribens, amethodi notam eidem inurit ideo; quòd tale suum medicamen ex solis, & astringentibus, & uiscosis, & craßis, citrà, calidorum, ac tenuium, quæ talia dedu-

cerent, quæpiam; effeciſſet. Habet enim Gal. *ipſe ſic. Ad ſanguinis reiectionem, qua ego, ſcilicèt Andromachus, utor. Acaciæ, drachmas* IIII. *Roſarum ſiccarum, balauſtij; ſing. drachm.* VIII. *Gummi, drachm.* II. *Tragacanthæ, drachm.* I. *Cum aqua paſtillos facito drachmæ unius. Dato ex aqua pluuia. Hæc,*
Gal.7.catatop.15. *ſcripſit Andromachus, tranſcripſit Galenus. Amethodi uerò notam hic quidem illi inurit ſic. Maioris lucis gratia repetam nunc id medicamen, quod primum omnium ex, acacia, ſiccis roſis, balauſtio, gummi, tragacanthaq;, eſt compoſitum. Manifeſtum autem eſt, acacian quidem, roſam, & balauſtium, aſtringentia; gummi uerò, & tragacanthan, uiſcoſa, & glutinatoria; tale medicamentum habere. Igitur impoßibile eſt; aduſque, thoracem, & pulmonem, ipſum per ſe deferri; ſi non habeant; quæ, aſtringentia, uiſcoſa, ac tenacia; deducant. Et (quod his ampliùs accedit) neque mellis quicquam eius compoſitor addidit; ſed per aquam pluuiam, quæ & ipſa aſtringentem uim habet; ipſius, tum compoſitio, tum exhibitio, tradita eſt; ut ad ſanguinis è, ſtomacho, uentreq;, eductiones conuenire poßit.*
Gal.inibi 16. *Contrariam autem uicißim ad præſcriptum primum pharmacum compoſitionem habent, tam, quintum, in ordine ſcriptum, quàm etiam nonum; nimirùm; cùm, & cinnamomum, & piper, & coſtus, & myrrha, eiſdem*

ſint admiſta; quæ ſanè, calida; tenuiaq́;, poteſtate cùm ſint; reliqua ſecum in corporis intima uel facilè conuehunt. Hæc idem Galenus. Mihi tamen; huiuſce inter, Andromachum, & Galenum, litis palæmoni; uidetur; non illum tantùm; quòd, calidi, tenuisq́;, & propterea deducentis, nihil inibi ſuorum quibuſdam medicaminum nihil (ut par erat) addiderit, hallucinatum fuiſſe; uerùm etiam & hunc quadantenus cæcutiuiſſe. Etenim; cùm Andromachi ipſius; in dicto, libro, capiteq́;, conſcripta, medicamina; ſeptem, ac decem, ſint; debuiſſet meo quippe iudicio Galenus ipſe; non primum illud medicamentum in medium afferre, in quo ſicca fuit commiſta ab Andromacho roſa; quam, & tenuem, & ideo corporis in intima penetrantem, eſſe; conſtat Galeni iuxta illud (Roſaceum; quòd, tenues, calidasq́;, particulas habeat, in profundum penetrare poteſt) In tali nanque ſententia partium, tenuitas, & penetratio; non quidem oleo; quòd, & oleum ipſum, craſſum, lentumq; Galeno ſit; &, craſſa, lentaq́;, ſint ad penetrandum incepta; uerùm potiùs, ſeptimum, octauum, undecimum, quartumdecimum, ac decimumſeptimũ, eiuſdem capitis medicamina in medium afferre debuiſſet; quorum omnium ſimplicia ſunt; tum omnia, partim aſtringentia, partim craſſa, partim glutinoſa; tum nulla, uel calida, uel aperientia, uel ſubtilia, uel penetrantia, uel deducen-

Gal. ibid.

Gal. 3. ſimpl. 17.

Gal. 1. ſimpl. 14.

Gal. 3. ſimpl. 18.

tia. Eſt nanque ſeptimum ipſum Andromachi medicamen tale. Inſcriptio. Aliud ad hæmoptoicos ex libris Apollonij. Deſcriptio. Hypociſtidis, balauſtij, acaciæ, cytinorum, gallæ; ſing. drachmas XII. Opij, croci, ſing. drachm. VI. Compoſitio. Triobolares in paſtillos redigito. Quànquam autem huic crocus admiſtus

Gal. 7. ſimpl. 57.

eſt; qui planè; quòd, calidus, aſtringenſq;, ſit, reliqua uidetur, & caliditate deducere, & aſtrictione impellere, in intima poſſe; hoc tamen nihil refert. Nam eius; tam caliditati, caliditatis ipſius paucitas, & croci craßies, unà refragantur; quàm impulſioni refragatur aſtrictionis ipſius imbecillitas. Quò enim ad illas crocus ipſe; tum mediocriter calidus eſt ideo, quòd ſecun-

Gal. ibid.

do tantùm ſit ordine calidus; quæcunque autem hunc qualitatum ordinem non excedunt, medio-

Gal. 8. ſimpl 97. 98.

criter eſſe qualia Galeno dicuntur; tum præterea & craſſa partium compage conſtat, quæ autem ſunt craſſa, ad penetrandum ſunt inhabilia.

Gal. 6. catacop. 1. Gal. 3. ſimpl. 18.

Quò autem ad hanc, uidelicèt quò ad eiuſmet croci impulſionem; profectò, quamuis Galenus interdum aſſeruerit, crocum ipſum myrrham, ut eius ducem, propria, tenuitate, caliditateq;, in corporis altum deducere; necnon myrrham ipſam crocum, ut eius peditem, aſtrictione eòdem

Gal. 6. catatop. 1.

impellere; non tamen propterea & hic affirmandum eſt; tam hypociſtidem, balauſtion, acacian, cytinum, gallam, & opium; quàm myrrham,

ipſummet crocum impellere poſſe. Nam crocus ipſe in myrrham, quòd (ut dictum eſt) tenuis ea ſit, facilè agit, eamq; aſtrictione ſua facillimè impellit. Quæcunque enim corpora tenuia ſunt, facilè cùm perpetiantur; promptè, tum calfiunt, tum refrigerantur, tum humectantur, tum exiccantur, tum aſtringuntur, tum impelluntur, tum reprimuntur, tum unico uerbo alterantur. At non eadem, qua in myrrham, facilitate poteſt ipſemet crocus in, hypociſtidem, balauſtion, acacian, cytinum, gallam, & opium, agere; quòd quidem hæc ſint; tum quòad ſubſtantiam craßiſſima; tum quòad qualitatem, & primam frigida, & ſecundam longè quàm crocus aſtringentiora. Non nanque poteſt aſtringens in aſtringentia (quà tale eſt) quicquam agere; quòd, neque ſimile agere poßit in ſimile, ſed ſolummodo contrarium in contrarium. Omnia nanq;, à ſimilibus conſeruantur, aq; contrariis tranſmutantur. Actionis enim cauſa apud, Peripateticos, ac uerè Philoſophos, contrarietati refertur accepta; neque debilius agens, qualis eſt, mediocriter aſtringens, crocus; in, ualidißimè aſtringentia, ac plurima, qualia ſunt, conſcripta nunc, medicamina; quicquam agere poteſt iuxtà uulgatum illud Recentiorum dogma; quo quidem aſſeritur, à proportione minoris in æqualitatis actionem non prouenire. Quàmuis autem, à contrario quidque perire, uult Pergamenus iuxtà ſuum

Gal. 1. ſimpl. 17.

Auerr.

Auerr.

Gal. 3. apho. 18.

Auerr. 1. de gener. 48. 49. 50

illud. A contrario, & in contrarium; quidq;
Gal. 3. meth. 3. perit. hoc tamen ita me iudice est intelligendum;
ut contrariorum, imbecillius à ualidiori, non au
tem contrà hoc ab illo; pereat. In summa sep-
timum illud Andromachi medicamen neque ip-
sum ratione factum ab eo fuit, licet crocus ei fue
rit ab eodem inditus. Octauum autem eiusdem
medicamen est tale. Inscriptio. Aliud adæmo-
ptoicos. Descriptio. Opij, gummi, sing. obo-
los II. Amyli, obol. III. Vsus. Dato ex aqua.
Nì forsan aqua ipsa reliquorum sit uector, te-
Gal. 1. simpl. 14. nuibus Galeno partibus constans. Vndecimum.
Descriptio. Hypocistidis, balaustij, acaciæ; sing.
drachm. I. Opij, obol. III. Vsus. Ex aqua.
Decimumquartum. Inscriptio. Aliud sangui-
nem reijcientibus, ut Acacios. Descriptio. Ter-
ræ samiæ, corallij, opij; sing. drachm. IIII.
Rubricæ sinopicæ; drachm. II. Balaustij; obol.
III. Amyli; drachm. XII. Thuris, hyosciami
seminis; sing. drachm. VIII. Compositio. Trio
bolares cum polygoni succo pastillos formato.
Vsus. Dato in posca, si fluxio multa sit; cum,
assato oui uitello, & plantaginis aqua. Vltimum
eiusmet Andromachi medicamen. Inscriptio.
Aliud ad hæmoptoicos Magni Philadelphi. De-
scriptio. Corallij; obol. I. Asteris samij; obol.
IIII. Succi sanguinariæ; cyath. VI. Vsus.
Totum hoc in potu pro duabus uicibus dato. Om
nia igitur hæc Andromachi medicamenta præ-

ter, methodum, ac rationem, ideo facta uidentur; quòd, calidi, tenuisq́;, medicamenti nihil eis commiſtum ab eo fuerit; cuius ducatu, craſſa, lenta, frigida, aſtringentia, adq́; motum ex ſe inhabilia; in corporis altum coire poſsint. Reliqua autem medicamina; eodem in, libro, capiteq́;, ab eodem conſcripta; ratione, methodoq́;, compoſita quidem ideo fuiſſe cenſendum eſt; quòd ſanè craſsis, lentis, frigidis, & aſtringentibus, meditaminibus; tum ſecundæ Antidoto coſtus fuerit additus; tum tertiæ myrrha; tum quartæ, crocus, myrrha, iris, nardus, coſtus, piper, ac roſa, fuerint coindita (potis enim crocus eſt hæc calida, tenuiaq́;, aſtringens; impellere) tum quintæ, myrrha, nardus, cinnamomum, crocus, piper, coſtus, ſtyrax, iris, roſa, ac mel; tum ſextæ, crocus, myrrha, iris, caſia, rha, ſtyrax, leucopiper, roſa, ac mel; tum nonæ, cinnamomum, caſtorion, coſtus, piper, macropiper, myrrha, crocus, & aniſion; tum decimæ aniſon; tum duodecimæ, crocus, & myrrha; tum decimætertiæ, roſa, myrrhaque; tum decimæquintæ roſaceus, tam ſlos, quàm ſuccus; tum denique & decimeſextæ, nardus, aniſon, & crocus. In ſumma ex decem, ac ſeptem; iam, connotatis, ac perpenſis, Andromachi medicaminibus; primum, ſecundum, tertium, quartum, quintum, ſextum, nonum, decimum, duodecimum, decimumtertium, decimumquintum,

ac decimumſextum, ratione, & methodo; reliquà uerò quinque; uidelicèt, octauum, undecimum, decimumquartum, ac decimumſeptimum; abſq; ratione, & methodo; fuere ab irrationaliſsimi, & in bene agendo amethodiſsimi, Neronis Archiatro confecta. In his enim ſola ducatus indigentia abſq; ullis eorũ ducibus fuere ab eo poſita. In illis autẽ; utraq; idest, tam ducatus indigẽtia, quàm eorũ Duces; fuere ab eodem compoſita. Quas ob res (ad, propoſitam iam, rem in præſentia pedem refero) ni forſan ego cæcutio (nunquam enim hallucinari ſupra, captum, ac potentiam, hominis eſt) Galenum quidem, & cæcutiuiſſe, & hallucinatum fuiſſe, cenſendum eſt; quòd Andromachi priorem Antidotum, methodicè, affabreque, me Palæmone factam; amethodam eſſe uoluerit; cùm utique; non primam illam; ſed, ſeptimam, octauam, undecimam, decimam quartam, deciamque ſeptimam, amethodas eſſe; par eum fuiſſet affirmaſſe. Vt autem; & ad, propoſitam priùs, rem nunc reditus fiat; & oppoſita galenicæ contradictionis pars in medium afferatur; ſubdendum uenit; quòd priori illi Galeni ſententiæ; qua ad eius mentem aſſertnm iam fuit, aſtringentibus medicamentis, calida, atque tenuia; quorum ui, & anguſti corporis meatus dilatentur, & aſtringentia ipſa in eiusdem intima deducantur, eſſe commiſcenda; poſterior quidem hæc, oppoſita, ac repugnans,

Gal. 3. præd. 43.

eſſe

esse uidetur; qua ab ipsomet Galeno præcipitur, abstergentibus, digerentibus, & siccandi potestate præditis, paululum ex astringentibus pharmacis admiscendum esse; tum quidem ut id quod affectis partibus influit, ea repellant; tum etiam ut ipsorum, abstergentium, digerentium, & siccandi potestate præditorum, facultates eadem in profundum usque deducant. Hæc Galenus, Ni forsan esset; quòd astringentium ipsorum; alia quidem; & parum astringunt; &, calida, tenuiaque, sunt (non nanque moderatæ refragatur astrictioni tenuitas, licèt intensæ hæc repugnet; etenim, sola ualidè astringentia crassa quidem esse, constat) qualia, myrrham esse, & casiam, liquet; alia, tum mediocriter astringentia, tum frigida, tum subtilia, sunt; qualia, acetum, & rosa (Non enim illud; quòd, non crassum, sed frigidorum omnium tenuissimum, sit; ualidè, uereque, astrictorium esse, affirmandum est; cùm sanè, efficaciter, ac uerè, talia; terrea, crassaque, Galeno sint) alia tandem ualidè, tum astringentia, tum frigida, tum crassa, sunt; qualia, balaustion, & galla. Verùm eminuerò Galenus ipse præcepit; tum intensè, & crassis, & frigidis, & astringentibus; subtilia, calida, & aperientia, commiscenda esse; non enim illa ob plurimam, & craßitiem, & frigiditatem, & astrictionem; absque horum ducatu; scilicèt, subtilitate, cali-

Gal. 2. catag. 18. Solutio.

Gal. 4. simp. 7. Gal. 8. simp. 113. et. 6. 4. catatop. 1. 9. Gal. 7. simpl. 12. Gal. 1. sim. 19. 20 22. Gal. 3. sim. 16. 17 et 8. catatop. 3. Gal. 3. catag. 2. Gal. 4. simpl. 7.

Gal. . 6. ditate, & apertione; corporis in altum ex seip
simp. 8. sis progredi queunt (& sic uera quidem est
Gal. 7. prior illa, superiùs posita, contradictionis sen-
sim. 23. tententia) tum præterea idem Gal. censuit, abstergentibus, digerentibus, & siccandi potestate præditis; tenuia, calida, ac parum astrintentia; fore permiscenda. & sic uera pariter; est secunda sententia eiusdem contradictionis, hîc posteriùs conscripta. Quòd autem utraque pergamenicæ huius contradictionis sententia una cum priore sit uera; ex geminis hisce eiusmet Gal sententijs expiscaberis. Prima. Astringens medicaminum uis maximè quidem proficit, ubi in tenui substantia continetur; ut apparet in nucum succo. Nam, quæ ex astringentibus crassas partes habent; per astrictionem, cogunt, & condensant, corporum, quibus adhibentur, superficiem; & à progressu in corporum ipsorum altum sese impediunt. Quibus enim etiam aliàs ob substantiæ crassitiem impossibile erat in altum progredi; his sanè ampliùs impossibile fuerit densato corpore id; quod totum, inflammatum, uel aliter affectum, est; iuuare. Hæc idem. Secunda sententia. Porrò;
Gal. 6. ca-
tatop. 2. quæ magnopere, austera, acerba, frigida, crassaque, sunt; qualia esse constat; & malicorium; &, cùm cytinum, tum balaustion; cumque maturam, tum ophacitidem, gallam; idque genus alia; corporis in intima, omnino nullum introdu-

cere humorem queunt. Nam talia, primo statim contactu eius superficiem densantia; humorem, ingredi, imbibique; prohibent. At; quæ; paululum quidem astringunt; cæterùm, tenuis, humidæ, tepidæque, essentiæ plurimum in se continent; hæc per essentiæ quidem tenuitatem promptè mobilia, cùm sint; corporum, quæ contingunt, meatus subire nihil prohibet. Tantumque abest, ut præ astrictione altiùs ingredi ad mota corpora probibeantur; ut etiam ab ea, magis scilicèt impellente; inuentur. Quòd autem id genus astringentia intrò quidem in corpus alia, sibi commista, impellant; sic de croco, myrrham impellente; Gal. enunciauit. Adiuuant se mutuò, crocus, & myrrha, in penetrando in profundum; crocus quidem, uelut impellens, propria suaque astrictione, myrrham; myrrha uerò, ueluti Dux, præcedens peditem, & (si ita dicere liceat) sequentem se, crocum, ingenita, subtilitate, & caliditate; deducens. Hæc Pergamenus. Vt igitur; cùm iam, & sententiarum ferula, & rationis calcaribus, in rhabarbareæ perustionis abusu παλινῳδίαν quam Græci nominant, Recentiores canere coegerimus; tandem anacephalæosis tuba receptui canamus; concludendum uenit; Rhà ipsum barbarum; ob; sangguinea, defluuia, ac effluuia; necnon ob, astrictionem, & corroborationem, propinandum; tum quidem modicè subadurendum esse;

Gal. 3. simp. 17.

Gal. 6. catatop. 1.

Gal..6. simp.8. Gal. 7. sim.23. ditate, & apertione; corporis in altum ex seipsis progredi queunt (& sic uera quidem est prior illa, superiùs posita, contradictionis sentententia) tum prætereà idem Gal. censuit, abstergentibus, digerentibus, & siccandi potestate præditis; tenuia, calida, ac parum astrintentia; fore permiscenda. & sic uera pariter; est secunda sententia eiusdem contradictionis, hîc posteriùs conscripta. Quòd autem utraque pergamenicæ huius contradictionis sententia una cum priore sit uera; ex geminis hisce eiusmet Gal sententijs expiscaberis. Prima. Astringens medicaminum uis maximè quidem proficit, ubi in tenui substantia continetur; ut apparet in nucum succo. Nam, quæ ex astringentibus crassas partes habent; per astrictionem, cogunt, & condensant, corporum, quibus adhibentur, superficiem; & à progressu in corporum ipsorum altum sese impediunt. Quibus enim etiam aliàs ob substantiæ crassitiem impossibile erat in altum progredi; his sanè ampliùs impossibile fuerit densato corpore id; quod totum, inflammatum, uel aliter affectum, est; iuuare. Hæc idem. Secunda sententia. Porrò;

Gal.6. catatop. 2. quæ magnopere, austera, acerba, frigida, crassaque, sunt; qualia esse constat; & malicorium; &, cùm cytinum, tum balaustion; cumque maturam, tum ophacitidem, gallam; idque genus alia; corporis in intima, omnino nullum introdu-

cere humorem queunt. Nam talia, primo statim contactu eius superficiem densantia; humorem, ingredi, imbibique; prohibent. At; quæ; paululum quidem astringunt; cæterùm, tenuis, humidæ, tepidæque, essentiæ plurimum in se continent; hæc per essentiæ quidem tenuitatem promptè mobilia, cùm sint; corporum, quæ contingunt, meatus subire nihil prohibet. Tantumque abest, ut præ astrictione altiùs ingredi ad mota corpora probibeantur; ut etiam ab ea, magis scilicèt impellente; iuuentur. Quòd autem id genus astringentia intrò quidem in corpus alia, sibi commista, impellant; sic de croco, myrrham impellente; Gal. enunciauit. Adiuuant se mutuò, crocus, & myrrha, in penetrando in profundum; crocus quidem, uelut impellens, propria suaque astrictione, myrrham; myrrha uerò, ueluti Dux, præcedens peditem, & (si ita dicere liceat) sequentem se, crocum, ingenita, subtilitate, & caliditate; deducens. Hæc Pergamenus. Vt igitur; cùm iam, & sententiarum ferula, & rationis calcaribus, in rhabarbareæ perustionis abusu παλινοδίαν quam Græci nominant, Recentiores canere coegerimus; tandem anacephalæosis tuba receptui canamus; concludendum uenit; Rhà ipsum barbarum; ob; sangguinea, defluuia, ac effluuia; necnon ob, astrictionem, & corroborationem, propinandum; tum quidem modicè subadurendum esse;

Gal. 3. simp. 17.

Gal. 6. catatop. I.

tum, interdum craßè, interdum tenuiter, eſſe puluerandum; tum denique &, olfactui iucundo, guſtui ſuaui, meatus dilatante, & eius actrictionem coadiuuante, Duce; ei coadhibito; feliciter exhibendum. Etenim, talibus methodis ob eius exhibitionem coobſeruatis; ſanè, cùm honor Medicis, tum ſanitas ægrotantibus, ingeretur; ni forſan hi iucurabiles ob, affectus, uel intemperantiæ; uim fuerint. Ob affectum; quandò ægris, qui inſanabiles ſunt; his, nec tempus ullum, neque præſidium; oportunum eſt. Ob intemperantiam autem; nam; intemperantes; uinoſoſque; & uentri, gulæque, deditos; neque purgatione, neque ſanguinis mißione, multoq; minùs aſtrictione; magnopere adiuueris. Nam per uitæ intemperantiam crudorum humorum copiam ocyßimè colligunt. Ideoq; non talibus; ſed his tantùm, qui ſalutaribus, rationalium Medicorum, præceptis obſequuntur; manum, porrigere, & admouere; tentandum eſt. Quan quam in rei ueritate nulli, catholicæ, pijßimæ, uerißimæq;, noſtræ legi addicto, Medico; quenquam unquam, deſpicere, deſerere'ue; ægrotantem licet.

Gal. 11. meth. 9.

Gal. in de curan. r. p. s. m.

OPPOSITAS RECENTIORVM Medicorum, sententias, & rationes, perpendens, reiiciens, ac diluens; sermo.



VM noua hæc opinio mea fuerit optimis iam me Palæmone, & sententiis monstrata, & rationibus demonstrata; reliquum esse uidetur; ut, in oppositum adductas, Recentiorum Medicorum, cùm sententtas, tum uel maximè ratione; pro uirili parte, & perpendam, & reiiciam, & limpidißima ueritatis lympha diluam. Quocirca ad mesueticam sententiam, quæ prior est in sententiarum ordine; tunc respondebitur, cùm de ratione fiet diluenda sermo. Ad primam autem Galeni sententiam dicimus; ipsum thuris corticem; tum crudum; euidenter astringere; ac proindè sanè strenuè quoque adeò siccare, ut ex secundo, iam completo, siccantium sit ordine; tum ustum, magis exiccare, minùs tamen astringere; quemadmodùm & de chalcitide Gal. affirmat; tum propterea (dicat quicquid uelit noster Galenus) potiùs, crudum, uel subadustum, quàm perustum; ob dicta iam, defluuia, ac efluuia, propinandum Rha ipsum barbarum esse. Nam his quidem; astringentia ex se; desiccantia autem quadantenus, ex acciden-

Gal. 7. simp. 81.
Gal. 9. simp. 61.

ti, non ex se; refragantur. Illa sanè; quà & affectas partes, in unum cogunt, corroborantq́;; & confluentem sanguinem reprimunt. Hæc autem; quà humorem per halitum eliciunt. Qua ratione, humorem scilicèt depascendo, etiam per accidens corroborant iuxtà Gal. illud. Quod desiceat (huiusmodi autem est quicquid astringit) humorem depascitur, & partem corroborat. In summa, sicciorem, non astringentiorem, thuris corticem ustione fieri; respondemus. Quàmuis autem, non astringentia solùm, uerùmetiam & siccantia, uentrem sistant; illa tamen ex se, ex quodammodò ex accidenti; eum sistunt. Ad eiusmet Gal secundam respondemus nos, eodem modo quo suprà. Ipsum nanque sal ob torrefactionem quidem, intensiorem siccitatem contrahit, astrictionem autem remittit. Cùm itaque gingiuæ siccæ partes sint, talesq́ue partes ualide siccantia quærant; meritò igitur sal ipse tostus dentium est ex usu uacillationi. Ad tertiam pariformiter dicendum est; cancrorum cinerem esse ob exustionem desiccantem. Ad nouissimam eadem respondenda ueniunt, quæ suprà. Subdendum tamen est, uentrem, polton, seu sorbitionem, è zea factam, ac potissimùm frictam, ideo siccare; quòd planè zea ipsa quodammodo in medio sit tritici, & hordei. Hordeum autem paululùm absterget. Quamobrem & ipsa parumper absterget.

Gal. 1. de sanit. t.

Gal. 5. simp. 14.

Gal. 7. simp. 107. & 2. alim. 44.

Gal. 3. meth. 9. Gal. ibid.

Gal. 7. simp. 147.

Ob frixionem igitur ipſa ; tum abſterſionem , qua, non fricta, uentrem ad ulteriorem excretionem excitaſſet, amittit; tum ſiccitatem acquirit, cuius ui eundem cohibet, Nam , & uſtio ſicciora medicamina reddit, et exiccantia uentrem ſiſtunt. Poſtremo, ad rationes dicatur, adq́ue priorem illam Meſuæ ſententiam; locum illum. Magis ſequitur magis. ut, ſi uoluptas bona, maior melior. nequaquam uerum in rebus eſſe (ut Auerroes uult) quarum exceſſus æqualitatem tranſilit. Non enim ſequitur. Motus eſt humanæ uitæ leuamen; igitur, & magnus, & maior, & maximus, motus; magnopere, magis, & maximè; eſt humanæ uitæ leuamen. Etenim mediocrem motum exercitium eſſe conſtat, quod motuum ſolum naturæ leuamen exiſtit. Maximum uerò motum laborem eſſe liquet, qui eidem ſalutaris nequàquam eſt. Omne enim nimium (inquit Hippocrates) eſt naturæ inimicum. Ideoq́ue, id apprimè quidem eſſe in uita utile, Comicus aſſerit, ut nequid nimis. Adde præterea & ; Diuum ipſum Meſuen (pace tanti uiri dixerim) in hoc hallucinatum; quòd affirmauerit; Rhabarbarum cùm ſubaſſum ægriùs, tum peruſtum, ualidiùs; uiſcera contrahere. Cùm ſane potiùs contrà illud magis, hoc minùs (monſtratum ut ſuperiùs eſt) uiſcera contrahat. De Dæmonibus igitur epicraſi, Rhaq́ue barbaro; ſatis, ſuperque, in eius laudem

Gal. inibi 53.

Gal. 7. 9. ſimp. 23. 50.

Gal. 7. ſimp. 107. & 2. alim. 44.

Auer. 2. top.

Hip. 2. ap. 51.

dictum iam ſit; qui, trinus, & unus, eſt; qui, optimus, maximus; qui denique ſolus languores ſanat.

A. C. A. N.

FINIS.



